SENATORES ROMANI QUI FUERINT INDE A VESPASIANO USQUE AD TRAIANI EXITUM.

(PARTIS II CAPUT 4: **DE SENATORUM PATRIA.**)

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

BRUNO STECH

BEROLINENSIS.

PROMOTIO SOLLEMNIS HABEBITUR DIE XII. MENS. MART. ANNI MCMXII.

DE DISSERTATIONE AD ORDINEM RETTULERUNT:
OTTO HIRSCHFELD, DR. PROF. PUBL. ORD.
EDUARDUS MEYER, DR. PROF. PUBL. ORD.

Venia amplissimi philos. ord. impetrata haec pars dissertationis hoc loco formis exprimitur; tota prodibit in ephem. '*Klio, Beiträge zur alten Geschichte*' edita a C. F. Lehmann et E. Kornemann (Lipsiae) *Beiheft 10.*

GRYPHIAE
TYPIS JULII ABEL
MCMXII.

MATRI CARISSIMAE
PATRIS OPTIMI PIIS MANIBVS
S.

4.

De senatorum patria.

Multis bellis, quae labente libera re publica Romana gesta sunt, multi senatores e veteribus gentibus orti mortem occubuerunt. Atque etiam aetate imperatoria eorum numerus adeo est deminutus, ut quoquo modo poterant imperatores darent operam, ut gentes veteres quae superessent servarent aut novas atque ad id tempus ignotas in senatum legerent. Quae cum ita sint, mirum non est, quod aetate Vespasiani atque temporibus posterioribus nomina nondum audita inter senatores inveniuntur. Nam ille coactus erat senatum denuo legere, id quod a. 73/4, quo una cum Tito censura fungebatur, factum est. Praeterea hic illic imperatores viris egregiis latum clavum dabant. In his non dubium est quin nonnulli homines provinciales fuerint. Libera re publica cum nisi homines, qui cives Romani nati erant, ad honores amplissimos non procederent, saeculo p. Ch. primo ab imperatoribus multi peregrini et Italici et provinciales in curiam urbanam lecti sunt. Id Caesarem dictatorem primum egisse constat; nam eius opera nonnulli Galli in senatum pervenerunt[1]); quin etiam Hispanus quidam[2]) ad honores senatorios progressus est. Hac in re quomodo Augustus se gesserit, non satis constat. Ille Gallos quidem senatu movit, sed L. Cornelius Balbus origine Hispanus, quem modo nominavi, et eius fratris filius L. Cornelius Balbus Augusto imperante obvii sunt in senatu. His adiciendus est Q. Pompeius Macer praetor a. 15 p. Chr.[3]), pronepos illius Theophanis Mytilenaei, qui Pompei amicitia utebatur. Neque tamen verisimile est Augusto imperante multos homines provinciales in senatu Romano fuisse. Nam quamquam Dio Maecenatem illi suadentem fingit[4]), ut senatores Romani non solum ex Romanis sed etiam ex peregrinis eligantur, tamen apud eundem scriptum exstat[5]), ut caveat, ne

1) cf. Friedlaender, *Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms in der Zeit von August bis zum Ausgang der Antonine.* 8. Aufl. Berlin 1910 (citatur SG. ⁸). p. 229.

2) L. Cornelius Balbus Gadibus natus.

3) cf. Dessau *Hermes* 45. 1910 p. 14.

4) Dio 52, 19, 2: *ἀντὶ δὲ δὴ τῶν ἄλλων τούς τε γενναιοτάτους καὶ τοὺς ἀρίστους τούς τε πλουσιωτάτους ἀντεσάγαγε, μὴ μόνον ἐκ τῆς Ἰταλίας ἀλλὰ καὶ παρὰ τῶν συμμάχων τῶν τε ὑπηκόων ἐπιλεξάμενος.*

5) Dio 52, 20; cf. Friedlaender *SG.* I ⁸ 228.

provinciales ad honores curules admittat. Atque ex Claudii oratione colligi puto inde a Tiberio demum magis magisque provinciales ad honores amplissimos processisse[1]. Similiter de iis, quae Tacitus *a.* XI 24 ex Claudii oratione affert, iudico. Nam ut provinciales Balbi duo et pauci homines ex provincia Narbonensi orti, qui quando in senatum pervenerint non constat, nominibus omissis memorantur.

Harum rerum commutatio facta est inde ex eo tempore, quo Vespasianus imperium iniit. Is primus provinciales senatores etiam patriciatu hic illic ornavit, atque eo imperante complures ad amplissimos honores progressi sunt. Satis porro multae gentes Italicae ab illo in senatum lectae sunt, quae ante illius tempora non inveniuntur[2]. Hac in re ii quoque, qui ei successerunt, id egerunt, ut senatum supplerent familiis et ex Italia et ex provinciis ortis. Quod quam verum sit nunc explicare conabimur.

A. De senatoribus ex Italia ortis.

Ac primum consideremus, qui senatores in laterculis nostris Italici occurrant. Patriam senatorum ex his fere rebus cognoscere possumus:

a) nonnullorum patria a rerum scriptoribus memoratur;

b) tribuum Romanarum satis multae inveniuntur, quibus homines nisi origine Italici non continentur: Camilia, Clustuminia, Falerna, Lemonia, Menenia, Oufentina, Poblilia, Pomptina, Romulia, Sabatina, Stellatina, Voturia (cf. *Ku.* II 270—272);

c) sunt multi, quorum origo possit duci ab iis, qui aut libera re publica aut aetate Augusti homines Italici memorantur;

d) cum Vespasianus primus homines provinciales inter patricios adlegerit, omnes, qui vel ipsi vel maiores ante illius tempora patriciatu ornati fuerunt, origine Italici sunt;

e) non semel constat, quibus ex regionibus gentes vel familiae ortae sint;

f) multum valet ad patriam senatoris requirendam locus, quo tituli eius inventi sunt; accedit quod tribus, in qua censebatur, plerumque in titulo memoratur. Atque ex Kubitschekii libro, qui inscribitur '*Imperium Romanum tributim discriptum*' (Vindobonae a. 1889; citatur *Ku.* II) facile

---

1) *CIL.* XIII 1668: Sane | novo m[ore] et Divus Aug[ustus av]onc[ulus] meus | et patruus Ti. | Caesar omnem florem ubique coloniarum ac municipiorum bo|norum scilicet virorum et locupletium, in hac curia esse voluit. | Quid ergo? non Italicus senator provinciali potior est? . . . Sed ne provinciales quidem, | si modo ornare curiam poterint, reiciendos puto. |

2) cf. Sueton *Vesp.* 9: amplissimos ordines, et exhaustos caede uaria et contaminatos ueteri neglegentia, purgauit suppleuitque recenso senatu et equite, summotis indignissimis et honestissimo quoque Italicorum ac prouincialium allecto. Tac. *h.* III 55: simul novi homines e municipiis et coloniis atque etiam provinciis in senatum crebro adsumpti domesticam parsimoniam intulere.

cognosci potest, num id oppidum vel ea regio, ubi qui tituli senatoris inventi sint, in ea tribu fuerit, quae exstet in titulis. Id si ita est, ibi natum eum esse verisimillimum est;

g) porro Italos habendos esse verisimile est senatores eos, qui in Italia magna praedia possidebant[1]) idque ante Traiani tempora. Ea enim aetate rerum commutatio facta est. Nam cum plerique senatores provinciales in sua quisque patria fundos obtinerent (cf. Friedlaender *SG.* I [8] 250), Traianus c. a. 106/7 lege cavit ut senatores ex provinciis orti pecuniam suam in Italia collocarent[2]). Quod argumentum non nimium valere concedendum est;

h) non numquam ex nominibus hominem origine Italicum aliquem fuisse concludere licet. Hac in re examinanda imprimis usus sum Guil. Schulzii libro, qui inscribitur *Zur Geschichte der lateinischen Eigennamen (Abhandlg. der Göttinger Gesellschaft der Wissenschaften,* phil.-hist. Klasse. N. F. vol. 5, 2. 1904; citavi '*Schulze*');

i) accedunt pauca argumenta, quorum eo loco, ubi senatores singuli nominabuntur, mentio fiet.

Quibus argumentis perspectis senatores ii enumerentur, quos ante Vespasiani aetatem in senatu fuisse et quos post a. 69 superfuisse verisimile est.

Jam aetate Claudii in senatu fuerunt:

1. M.' Acilius Aviola (n. 13); nam a Claudio inter patricios relatus videtur esse. (cf. partis II cap. 2.)
2. Acilius (Glabrio) (n. 153) oriundus videtur ab uno Glabrionum, qui a. 699/55 in senatu fuerunt (cf. Willems, *le sénat de la République romaine* ed. II. Paris. 1885 (citatur '*Willems*') I 544; *le sénat en l'an 65.* p. 6 n. 2).
3. L. Acilius Strabo (n. 53); in Campania natum eum esse probabile est, quod ea in regione praedia eius sunt (cf. *Not. d. Scavi* 1893 p. 211). Unus ex eius posteris origine Neapolitanus videtur fuisse. (cf. *seriem. Ital.* n. 209.)
4. [L.?] Ael[ius] [Lamia?] (n. 280); qui, si nomen recte suppletum est, adiciendus est Aeliis Lamiis. Prognatus videtur a L. Aelio Lamia (cos. a. p. Chr. 3; cf. *PIR.* I 18 n. 149), qui est filius L. Lamiae praetorii, cuius amicitia utebatur Cicero.
5. L. Afinius Gallus (n. 263); e nomine Afinio hominem Italicum eum fuisse concludam. (cf. Schulze p. 112.)

---

1) cf. Tac. *a.* VI 17 (ad a. p. Chr. 33): ad hoc senatus praescripserat duas quisque faenoris partes in agris per Italiam conlocarent.

2) Plin. *ep.* 6, 19, 4: (ut qui honores peterent) patrimonii tertiam partem conferrent in ea quae solo continerentur, deforme arbitratus, et erat, honorem petituros urbem Italiamque non pro patria, sed pro hospitio aut stabulo quasi peregrinantes habere; cf. Mommsen *St.R.* III 899; Friedlaender l. l. 249.

6. C. Antistius Vetus (n. 225); maiores eius iam ab Augusto patriciatu ornati sunt (cf. partis II cap. 2).
7. M. Asinius Marcellus (n. 237) pronepos C. Asinii Pollionis (cf. Tac. *a.* XIV 40, *PIR.* I 161 n. 1017; 163 n. 1025). Accedit quod iam a. 40 patricius fuit (cf. partis II. cap. 2).
8. L. Calpurnius L. f. Cn. n. Piso (n. 251); ortus est ab Cn. Cornelio Pisone Frugi (cos. a. 731/23 cf. *PIR.* I 285 n. 248): praeterea iam ante Vespasiani aetatem in patriciorum numero est (cf. partis II cap. 2).
9. M. Calvius M. f. Pap. Priscus (n. 298). Calvios Priscos Cora, ex oppido Latii, oriundos fuisse et locus illius titulorum *CIL.* X 6520. 6521 et tribus docent (cf. *Ku.* II 17 seqq.).
10. C. Cassius L. f. L. n. Longinus (n. 4; filius est L. Cassii Longini cos. a. p. Chr. 11 (*PIR.* I 315 n. 428, cf. n. 429), de quo fasti Capitolini referunt ad a. 11: '[e]x k. Jul. L. Cassius L. f. . . . n. Longinus'. Longini igitur nostri proavus unus ex iis Cassiis videtur fuisse, qui a. 699/55 in senatu fuerunt (cf. *Willems* I 545).
11. Cluvius Rufus (n. 5); fieri potest, ut inter eius maiores sint Cluvii ii, qui sub finem liberae rei publicae in senatu fuerunt (*PIR.* I 425/6 n. 954/5). Groag *RE.* IV 121 n. 12 statuit eum oriundum esse ex plebeia gente Cluvia, ex qua unus, ut exemplum afferam, legatus L. Aemilii Paulli a. 586/168 fuit (cf. *RE.* IV 119 n. 1).
12. L. Coiedius L. f. Ani. Candidus (n. 306); fortasse ortus est ex Umbria, ubi nomen Coiediorum occurrit. (*CIL.* XI 5737. 5774). Suasae, in oppido Umbriae, eius titulus *CIL.* XI 6163 inventus est; ubi patronus videtur fuisse.
13/15. Cossus Cornelius Cossi f. Lentulus (n. 258) atque eius patrueles Cn. et Cossus Cornelii Lentuli Gaetulici (n. 242 et 310) Itali sunt: nam ex vetere patriciorum gente Cornelia orti sunt (cf. stemma *RE.* IV 1359/60: *PIR.* I 452. Heiter *de patriciis gentibus quae imperii Romani saeculis I II III fuerint.* Diss. Berol. p. 31 seqq.: supra partis II cap. 1).
16. Cornelius (Lentulus?) Scipio (n. 249) eidem genti veteri adiciendus est (cf. stemma sub n. 13/15): supra cap. 1)[1]).
17. Flavius Sabinus (n. 9), imperatoris Vespasiani frater natu maior, natus est in Sabinis (cf. Suet. *Vesp.* 1).
18. T. Flavius Vespasianus (n. 1), qui postea imperavit, natus est in Sabinis ultra Reate vico . . ., cui nomen est Falacrine (Suet. *Vesp.* 2. *Sil. Ital.* II 594 seq.)

1) Cossutianus Capito (n. 312) num homo Italus fuerit non satis constat; huius de origine quod statuit Willems *le sénat* a. 65 p. 30 n. 54 certe falsum est (cf. supra n. 312).

19. C. Fonteius Capito (n. 256): nepos videtur esse C. Fontei C. f. Capitonis (cos. a. 721/33 cf. *PIR.* II 86 n. 311; *RE.* VI 2847 n. 20; ibid. p. 2848 stemma Capitonum exstat).
20. T. Helvius T. f. Basila origine Atinas videtur esse. Hic laterculis Italorum adiciendus est modo, ut Claudii vel Neronis temporibus fuerit; sed aetati Augusti tribuit eum Hirschfeld *VB.*[2] 212 not. 2 (cf. supra n. 320).
21. M. Helvius L. f. Fal. Geminus (n. 321) certe Italus est propter tribum (cf. *Ku.* II 270); accedit quod eius gens ante Vespasiani tempora ad patriciatum ascendit (cf. partis II cap. 2).
22. Cn. Hosidius Geta (n. 221) ex posteris sine dubio C. Hosidii Getae proscripti a triumviris, ut ait Dessau *PIR.* II 148 n. 155 (cf. Drumann-Groebe I 471).
23. M. Ap. Junius Silanus (n. 328) filius C. Ap. Junii Silani (cos. a. 28, cf. *PIR.* II 244 n. 541) habendus est: cuius familia iam ab Augusto inter patricias adscita est (cf. partis II cap. 1).
24. M. Iunius Silanus (n. 245) eadem stirpe ortus. (cf. part. II l. l.)
25. . . . Ma . . . us (n. 334) certe ex Italia oriundus est, cum a Claudio patricius factus sit (cf. part. II. cap. 2).
26. . . . Martius L. f. Pompt. Macer (n. 337) Italus est propter tribum (cf. *Ku.* II 271); origine Arretinus videtur esse. Nam eius tit. *CIL.* XI 1835 exstat Arretii, quod oppidum erat in tribu Pomptina (cf. *Ku.* II 81).
27. C. Memmius Regulus (n. 265) filius est P. Memmii Reguli (cos. a. 31 cf. *PIR.* II 364 n. 342; aetate iam Augusti videtur senator fuisse; cf. Fischer n. 687). Homo provincialis si fuisset, id memorasset Tacitus *a.* XIV 47 neque dixisset eum fuisse 'nova generis claritudine'.
28. Cn. Pedanius Salinator (n. 259) qui nescio an iam a Claudio patriciis adiectus sit (cf. partis II cap. 2).
29. Pedius Blaesus (n. 351): verisimile est eum ortum esse a. Q. Pedio (cos. a. 711/43; cf. Ribbeck *Senatores Romani qui fuerint idibus Martiis anni a. u. c. 710.* Diss. Berol. 1899. n. 50).
30. Q. Petronius Umb[rinus] (n. 355) prognatus videtur esse a C. Petronio Umbrino (cos. a. 25 (?) cf. *PIR.* III 31 n. 236) qui est nepos C. Petronii praef. Aegypti a. 730/24—732/22; cf. stemma *PIR.* l. l.
31. Ti Plautius M. f. Ani. Silvanus Aelianus (n. 6), qui certe imperante Claudio in patriciis fuit (cf. partis II cap. 2). Accedit, quod necessitudine nescio qua videtur coniunctus esse cum A. Plautio praet. a. 703/51; cf. *PIR.* III 47 n. 363; stemma ibid. III 46; Dessau ad *CIL.* XIV 3608; Heiter p. 56).

32. Saevin(i)us Proculus (n. 363); fortasse ex nomine gentilicio colligi licet eum Italum hominem fuisse (cf. Schulze 223).

33. C. Salonius Matidius Patruinus (n. 198), fortasse oriundus est Vicetia, ubi a Salonia matre sepultus est (*CIL.* V 3117); fieri potest, ut idem sit . . . . Ma . . . us patricius aetate Claudii (quem modo n. 25 citavi).

34. L. Salvidienus Rufus Salvianus (n. 231) fortasse est ex posteris Q. Salvidieni Rufi (a. 714/40 a senatu damnati; cf. *PIR.* III 163 n. 90/1).

35. L. Salvius L. f. M. n. Otho Titianus (n. 11) cuius avus natus est Ferentii, quod est oppidum Etruriae (cf. *PIR.* III 168 n. 108; Suet. Oth. 1.: ortus 'familia uetere et honorata, atque ex principibus Etruriae'). Praeterea illius pater iam a Claudio patricius factus est (cf. partis II cap. 2).

36. T. Sextius Africanus (n. 257), oriundus a T. Sextio, quem propter res in Africa inde ab anno 712/42 gestas imperatorem appellatum esse docet tit. Formianus *CIL.* X 6104, ut ait Dessau *PIR.* III 236 n. 464; praeterea patricium creatum eum esse ab imperatore Claudio statuam (cf. part. II cap. 2).

37. C. Suetonius Paulinus (n. 220): fortasse propter nomen gentile in Italis eum numerare licet (cf. Schulze p. 300 seq.).

38. L. Tampius Flavianus (n. 8) oriundus est fortasse Fundis, ubi eius titulus *CIL.* X 6225, quem L. Tampius Rufus eius propinquus dedicasse videtur, repertus est.

39. P. Tebanus P. f. Quir. Gavidius Latiaris (n. 373); hic cum titulus *CIL.* IX 3602 ad agrum Sabinum potius quam ad Aveiam Vestinorum pertineat, in Sabinis natus videtur esse, fortasse Amiterni vel Aveiae, quae oppida tribu Quir. continebantur. (cf. *Ku.* II 54. 60; Tebanos ex Sabinis oriundos esse dicit Huebner *Eph. epigr.* II 46 seq.).

40. M. Trebellius Maximus (n. 15), si provincialis fuisset, Tacitus (*a.* XIV 46), ubi de eius origine dicit, id certe memoravisset.

41. M. Valerius Messalla Corvinus (n. 253); ut Corvini oratoris nepos (Tac. *a.* XIII 34) veteri patriciorum genti Valeriae attribuendus est. (cf. part. II cap. 1.)

42. Vell(a)eus Tutor (n. 224) videtur ortus esse C. Vellaeo Tutore (cos a. 779/26; cf. Fischer *senatus Romanus qui fuerit Augusti temporibus.* Diss. Berol. 1908 n. 572).

43. L. Velleius Paterculus (n. 260); fortasse est filius C. Vellei Paterculi rerum scriptoris; oriundi a Decio Magio Campanorum principe (cf. *PIR.* III 394 n. 237). Porro nomen 'Velleius' docere videtur origine Italum eum fuisse. (cf. Schulze p. 100).

44. Vestricius Spurinna (n. 87); propter nomen fortasse in Italis numerandus est. (cf. Schulze 260/1).
45. C. Vipstanus Apronianus (n. 17) ex posteris Vipstani Galli (praet. a. 17; Tac. *a.* II 51) videtur esse.
46. M. Vipstanus Gallus (n. 235) filius eius, quem modo n. 45 citavi.
47. L. Vipstanus Publicola (n. 226) quippe qui imperante Claudio ad patriciatum pervenerit. (cf. part. II cap. 2).
48. (C.) Volasenna (n. 234); quem propter nomen Italum iudicaverim. Id probatur eo, quod Volasennia Tertia, eadem ex gente orta, fuit oriunda Herculaneo. (cf. Dessau *PIR.* III 473 u. 617).
49. Q. Volusius Saturninus (n. 248) prognatus est ab L. Volusio Saturnino (cos. a. 742/12 cf. stemma *PIR.* III p. 487). Praeterea mihi videtur verisimillimum esse iam sub Claudio inter patricios eum fuisse. (cf. part. II cap. 2.)

Aetate Neronis:

50. M. Aefulanus (n. 240); nomen hominem Italum indicare videtur (cf. Schulze 117; Huebner *Hermes* 1. p. 426).
51. Appius Annius Gallus (n. 21); eius familia Perusia oriunda videtur (cf. Bormann ad *CIL.* XI 194a).
52. Arrius Antoninus (n. 36); auctor vitae Pii 1 de Pii maiorum origine verba facit. Hunc, cum paternum genus Nemausense fuisse dicat, id memoraturum fuisse verisimile est, si Arrius Antoninus provincialis fuisset.
53. Aurelius Cotta (n. 291); eius stirpem ab Augusto inter patricias adlectam esse statuit Fischer p. 110. (cf. part. II cap. 2). Deinde filius vel nepos M. Aurelii Cottae Maximi Messallini (cos. a. 20; *PIR.* I 203 n. 1236) videtur fuisse.
54. C. Bellicus Natalis (n. 270) origine Pisanus videtur esse, quod C. Bellicus Natalis Tebanianus eius filius (n. 163) Pisis sepultus est.
55. C. Calpetanus Rantius Quirinalis Valerius P. f. Pompt. Festus (n. 49) in Italis numerandus est propter tribum. (cf. *Ku.* II 271).
56. Calpurnius Galerianus (n. 297a) ortus e vetere gente Calpurnia atque patricius ante Vespasiani annos. (cf. part. II cap. 2.)
57. M. Camil(l)ius Surd . . . (n. 299); iam ante Vespasiani tempora patricium eum fuisse verisimile est (cf. part. II cap. 2).
58. Carrinas Celer (n. 301); fieri potest, ut oriundus sit ab C. Carrinate C. f. (cos. a. 711/43; cf. *PIR.* I 306 n, 375; Ribbeck n. 59; aliter iudicavit Willems *le Sénat a. 65* p. 94 n. 37.)

59. Ti. Catius Silius Italicus (n. 29) origine videtur esse Italus homo, fortasse Campanus; nam in Campania magna praedia possidebat (cf. *PIR.* I 322).

60. P. Cornelius Scipio Asiaticus (n. 271) ex vetere patriciorum gente Cornelia ortus est (cf. part. II cap. 1).

61/2. Cn. Domitius Sex. f. Volt. Afer Titius Marcellus Curvius Lucanus (n. 106) et Cn. Domitius (Sex. f. Volt.) . . . . Tullus (n. 107) Fulginiis, quod oppidum Umbriae in tribu Cornelia erat (cf. *Ku.* II 71), nati videntur esse. Quod tribu Volt. fuerunt, ut ex titulis elucet, verisimile est hanc eos suscepisse a. Cn. Domitio Afro, a quo adoptati sunt (*PIR.* II 16 n. 106). Is autem natus est Nemausi, quod oppidum censebatur in tribu Voltinia (*Ku.* II 214). Quod Sex. f. nominantur, apparet patrem naturalem esse intellegendum; cf. Mommsen *GS.* IV 401: 397 seq.

63. Fabius Num[antinus] (n. 316) ortus videtur esse e vetere patriciorum gente Fabia (cf. part. II cap. 1).

64. C. Fisius Po . . . (n. 317) imperante Nerone patricius fuit, ut veri est simillimum (cf. part. II cap. 2).

65. L. Flavus Fimbria (n. 50) ex posteris C. Flavii Fimbriae (consularis a. 654/100) haud scio an fuerit (cf. *RE.* VI 2598 n. 87).

66. T. Flavius Vespasianus (n. 2), qui postea imperavit, natus est Romae. (Suet. c. 2: cf. *RE.* VI 2697).

67. M. Fulvius M. f. Gillo (n. 65) origine Sabinus videtur esse: nam in agro Sabino non modo fundos possidebat (cf. *CIL.* IX 4776), verum etiam Fori Novi sepultus est *CIL.* IX 4794). Praeterea fieri potest, ut ortus sit a Q. Fulvio Gillone (praetore a. 554/200) cf. *RE.* VII 251 n. 69).

68. L. Funisulanus L. f. Ani. Vettonianus (n. 77) fortasse natus est Fori Popili, ubi eius titulus *CIL.* XI 571 repertus est: hominem Italum eum fuisse vel ex nomine gentili colligi potest, ut ait Groag *RE.* VII 301 n. 2.

69. Herennius Gallus (n. 322): ortus videtur esse a M. Herennio M. f. Gallo III viro Caiatiae (*CIL.* X 4587).

70. Sex. Julius Frontinus (n. 60) fortasse oriundus est ex Marsis (cf. *CIL.* IX 6083, 78) aut ex Volscis (cf. Aelian. tact. praef.; in agro Formiano fundos possidebat).

71. L. Iulius Rufus (n. 26) fortasse est homo Italus, si *CIL.* IX 6083, 80 ad eum referri potest.

72. D. (Iunius) Silanus Gaetulicus (n. 329) ortus est e vetere patriciorum gente Cornelia posteaque adoptatus est a. D. Junio Silano (cf. supra part. II cap. 1).

73. A. Larcius A. f. (Quir.) Lepidus (n. 148), origine Antiatinum eum fuisse ex *CIL.* X 6659 concludam, id quod tribu Quirina, qua Antiatini erant, probatur (cf. *Ku.* II 11).
74. (Licinius) Crassus Scribonianus (n. 186) ortus est e vetere gente Licinia (cf. stemma *PIR.* II 277: cf. supra part. II cap. 1)
75. A. Licinius Nerva Silianus (dictus etiam Silius Nerva) (n. 267): eius avus fuit e gente Silia et postea a Licinio nescio quo adoptatus est (cf. stemma in *PIR.* III p. 246): proavus vero ab Augusto creatus est patricius (cf. part. II cap. 2).
76. Q. Marcius Q. f. C. n. C. pron. Barea Sura (n. 336): pater eius iam Augusti aetate in senatu fuit (cf. Fischer n. 685).
77. Munius Lupercus (n. 343): fieri potest ut propter nomen gentile in Italis numerandus sit (cf. Schulze p. 195).
78. (Nonius) Calpurnius Asprenas (n. 297), oriundus e gente Nonia necessitudine nescio qua coniunctus est cum L. Nonio Asprenate (cos. a. 6: cf. *PIR.* I 409 n. 93) eiusque uxore Calpurnia.
79. Pedanius Costa (n. 349): fieri potest, ut eius origo ducatur a Costa M. Bruti legato a. 710/44 (cf. Eckhel *d. n.* V 269).
80. Cn. Pedius Cascus (n. 48) prognatus videtur esse a. Q. Pedio (cos. a. 711/43: cf. Ribbeck n. 50).
81. Q. Petillius Cerialis Caesius Rufus (n. 44) filius ut verisimile est Petillii Rufi (praet. a. 28: cf. *PIR.* III 25 n. 192: aetate iam Augusti fortasse fuit senator: cf. Fischer n. 705). Cum Flaviis Vespasianus affinitate est coniunctus.
82. C. Rutilius Gallicus, (n. 43), Taurinis natus est, ut videtur: cf. Stat. *silv.* I 4, 58—60: Mommsen ad *CIL.* V 6988.90.
83. Salienus Clemens (n. 364), propter nomen gentile fortasse Italus putandus est. (cf. Schulze p. 224.)
84. L. Salvius Otho Cocceianus (n. 199); Salvii Othones a Claudio inter patricios relati sunt. (cf. *Italorum laterculos* n. 35.)
85. Galeo Tettienus Petronianus (n. 64) fortasse ortus est Asisio ubi exstat titulus '[Pet]roniae C. f. [G]aleonis (sc. uxori)', quam matrem illius fuisse coniecit Hirschfeld apud Dessavium *PIR.* III 308 n. 96.
86. Tettius Julianus (n. 92) ex nomine eum origine Italum fuisse colligere licet (cf. Schulze p. 242. 425; *CIL.* IX ind. nominum).
87. Q. Tillius Sassius (n. 209); in Samnio prope Histonium fundos possidebat cf. *CIL.* IX 2827; fortasse oriundus est ex ea regione.
88. L. Valerius Catullus Messallinus (n. 57) filius videtur fuisse Valerii Catulli, consulari familia iuvenis (*PIR.* III 355 n. 41; 354 n. 35); itaque Messallini aetate Augusti aut iam antea in senatu fuerunt.

89. Vedius Aquila (n. 214) fortasse propter nomen gentile Italis adscribendus est (cf. Schulze p. 251).
90. L. Verulanus Severus (n. 266); familia eius orta est fortasse ex Hernicis (cf. Willems *le sénat. a 65* p. 83 n. 171; Huebner *Eph. epigr.* II 11).
91. M.(?) Vettius Bolanus (n. 33); nomen gentile indicare videtur Italum (cf. Schulze p. 101); fortasse origine est Mediolanensis (cf. Huebner *Eph. epigr.* II 34).
92. Sex. Vettulenus Cerialis (n. 88); ex nomine gentili ex Italia eum ortum esse collegerim (cf. Schulze p. 257).
93. C. Vipstanus Poplicola (n. 380) filius est L. Vipstani Publicolae (cf. *Ital. latercul.* n. 47).
94. Sex. Vitulasius L. f. Quir. Nepos (n. 72) fortasse est oriundus ex regione Vestinorum, qui tribu Quirina erant (cf. *Ku.* II 60/1); eius enim servus memoratur in tit. *CIL.* IX 3587, in agro Vestino reperto.
95. C. Ummidius Quadra[tus] (n. 382) aetate Neronis patricius fuit, ut veri est simillimum (cf. part. II cap. 2). Accedit quod filius videtur fuisse C. Ummidii Durmii Quadrati praetoris a. 18, qui ortus est Casino Latii (cf. *PIR.* III 468 n. 600).
96. Volcacius Tertullinus (vel Tullinus) (n. 383) prognatus videtur a. L. Volcacio Tullo (cos. 688/66; cf. *PIR.* III 474 n. 623).

Aetate Vespasiani:

97. L. Aelius Plautius Lamia Aelianus (n. 118) necessitudine nescio qua cum vetere gente Plautia coniunctus est.
98. C. Aquillius Proculus (n. 159) ortus videtur esse Puteolis, ubi titulum sepulcralem uxori posuit et sibi (*CIL.* X 1699).
99. M. Aquilius Regulus (n. 160); Aquilii Reguli aetate Caesaris vel Augusti in patriciis sunt (cf. part. II cap. 2); praeterea nepos fuit L. Aquillii F[lori] quaestoris Ti. Caesaris (cf. *PIR.* I 123 n. 806).
100. L. Asinius Pollio Verrucosus (n. 123), ex posteris C. Asinii Pollionis, ut puto; illum ante Vespasiani aetatem patricium fuisse crediderim (cf. part. II cap. 2).
101. T. Atilius Rufus (n. 75); Atilii magnos fundos possidebant in Latio (cf. titulos filii infra n. 194; *CIL.* XV 1430/32; X 6688).
102. P. Avilius (?) [T]i. vel. [Cn.] f. Pompt. Firmus (n. 134) certe ortus est ex Italia, ut apparet ex tribu. Origine videtur esse Arretinus; nam Arretii, quod oppidum erat tribu Pomptina (cf. *Ku.* II 81), eius titulus *CIL.* XI 1834 repertus est.
103. P. Baebius P. f. Ouf. Italicus (n. 162); tribus indicat Italum (cf. *Ku.* II 271); errore Ritterling *oest. J.* 10. 1907 p. 306 tribu Vol. eum fuisse dicit.

104. C. Bellicus Natalis Tebanianus (n. 163) filius est C. Bellici Natalis (supra *Ital. ser.* n. 54).
105. A. Caecina Alienus (n. 39) natus est Vicetiae (Tac. *h.* III 8).
106. L. Ceionius Commodus (n. 70) ex Etruria ortus (*vita Veri* 1, 9: cf. *vita Aelii* 2, 8).
107. T. Clodius M. f. Fal. Eprius Marcellus (n. 18) natus est Capuae (Tac. *dialog.* 8: *Ku.* II 14 seq.); vel ex ipsa tribu cognosci potest Italum eum fuisse (cf. *Ku.* II 270).
108. M. Cocceius Nerva (n. 47), qui postea imperavit, natus est Narniae in oppido Umbriae (cf. Vict. *Caes.* 12, 1: *Epit. de Caes.* 12, 1).
109. Ser. Cornelius Dolabella Petronianus (n. 167) ex vetere patriciorum gente Cornelia (cf. part. II cap. 1).
110. (Ser. Cornelius Scipio) Salvidienus Orfitus (n. 170) eadem e gente ortus est (cf. ibid.).
111. C. Ducenius Proculus (n. 173) fortasse origine Patavinus est: cf. quae disseruit Groag *RE.* V 1755 n. 3.
112. Fabius Valens (n. 38) natus est Anagniae (Tac. *h.* III 62).
113. T. Flavius Domitianus (n. 3), qui postea imperavit, Romae natus est. (Suet. c. 1, 17: Dio 67, 18; cf. *RE.* VI 2543).
114. T. Flavius Sabinus (n. 177) filius Flavii Sabini (cf. *seriem Italorum* n. 17).
115. P. Gl[iti]us P. [f] . . . anus (n. 179) patricius fuit iam ante Vespasiani aetatem (cf. part. II cap. 2): fortasse ortus est Faleriis, ubi eius titulus *CIL.* XI 3098 repertus est.
116. Q. Glitius P. f. Stel. Atilius Agricola (n. 150) Italus est, ut docet tribus (cf. *Ku.* II 272). Quem Augustis Taurinorum ortum esse et ex titulorum illius loco et ex tribu apparet (cf. *Ku.* II 118).
117. Helvidius Priscus (n. 102) oriundus e municipio Cluviis, regione Italiae Carecina (Tac. *h.* IV 5: cf. Mommsen ad *CIL.* IX 2999 et ibid. p. 257).
118. Helvidius (Priscus) (n. 180) filius est eius qui praecedit.
119. C. Julius Bassus (n. 151): fortasse eius maiores a Claudio vel antea inter patricios relati sunt (cf. part. II cap. 2).
120. L. (Julius Marinus?) (n. 326) ut pater L. Julii L. f. Fab. Marini Caecilii Simplicis (cf. *seriem Ital.* n. 167) Italis adiungendus est.
121. . . . tilius P. f. Clu. Lo[llian]us (n. 140): quem ex Italia esse ortum ex tribu apparet.
122. L. Luscius Ocrea (n. 109) ortus videtur a C. Luscio Ocrea Ciceronis aequali (Cic. *pro Roscio com.* 14, 43; cf. Schulze p. 364).

123. L. Neratius (L. f. Volt.) Marcellus (n. 344): origine est Saepinas: *Ku.* II 59.

124. L. Neratius L. f. Volt. Priscus (n. 345) ortus, sicut frater qui praecedit, sine dubio Saepino, ubi eius tituli *CIL.* IX 2454/55 = Dessau *inscr. sel.* 1033/34 reperti sunt; quod oppidum erat tribu Voltinia, ut ex multis titulis elucet (cf. *Ku.* II 59).

125. Sex Octavius Fronto (n. 192) ex posteris fortasse Octavii Frontonis praetorii a. 16. (*PIR.* II 426 n. 24), qui iam aetate Augusti in senatu fuit (cf. Fischer n. 698).

126. C. Oppius Sabinus (n. 194) verisimile est origine Auximatem eum fuisse sicut C. Oppium Sabinum Julium Nepotem e. q. s., qui fieri potest ut illius filius fuerit (cf. *PIR.* II 436 n. 78).

127. Pedanius Fuscus Salinator (n. 350) filius est Cn. Pedanii Salinatoris (cf. supra *ser. Ital.* n. 28).

128. Q. Petillius Rufus (n. 85) filius est Q. Petillii Cerialis Caesiani Rufi (cf. supra *ser. Ital.* n. 81).

129. M. Petronius Umbrinus (n. 128) filius est Q. Petronii Umb[rini] (cf. supra *ser. Ital.* n. 30).

130. Rupilius Bonus (n. 361) proavus imperatoris Marci: verisimile est auctorem vitae Marci 1, ubi de imperatoris maiorum origine dicit, si ille homo provincialis fuisset, id memoraturum fuisse.

131. C. Salvius C. f. Vel. Liberalis Nonius Bassus (n. 111), origine est Picens, ut ex tit. *CIL.* IX 5533 apparet (cf. Dessau *PIR.* II 412 n. 103).

132. C. Scoedius Natta Pinarianus (n. 201) fortasse ortus est Foro Popili, ubi nomen Scoedius in titulo *CIL.* XI 593 memoratur (cf. Schulze 90 not. 3).

133. Sex. Sentius Sex. f. Caecilianus (n. 204): gens Sentia oriunda est Atina (cf. Borghesi II 276).

134. . . . P. [f.] Stel. Sosp[e]s (n. 205) Italus est ut ex tribu elucet.

135. Cn. Suellius Flaccus (n. 207); fieri potest ut Suellii orti sint Benevento, ubi saepe in titulis memorantur (cf. Pallu de Lessert *fastes des prov. afric.* I 334).

136. Terentius Strabo Erucius Homullus (n. 208); is coniunctus est necessitudine nescio qua cum C. Terentio Juniore qui, cum prope Perusiam fundos possederit (*CIL.* XI 1947), ex Etruria ortus esse videtur.

137. T. Tettienus Serenus (n. 117) fortasse ortus est Salerno, ubi eius accensus in titulo *CIL.* X 531 memoratur.

138. [P.] Tullius (Stel.?) Varro (n. 145) ortus videtur esse Tarquiniis, quod oppidum erat tribu Stellatina (cf. *Ku.* II 89); ibi enim eius tituli reperti sunt. (cf. filium: infra *ser. Ital.* n. 178.)

139. Ti. Tutinius Severus (n. 375); familia eius oriunda est ex Etruria, ut ex nomine gentili colligere licet (cf. Schulze p. 229).
140. C. Valerius Flaccus Setinus Balbus (n. 212), cuius gens orta est Setia (cf. *PIR.* III 357 u. 53; Schulze p. 231 not. 3).
141. Velius Paulus (n. 377); nomen gentile videtur indicare Italum (cf. Schulze p. 99).
142. Velleius Blaesus (n. 378); quem ex Italia ortum esse fortasse ex nomine gentilicio colligi potest. (cf. Schulze p. 100.)
143. L. Venuleius Montanus Apronianus (n. 696); fortasse origine est Pisanus modo ut L. Venuleius Apronianus Octavius illius nepos sit; hic enim natus est Pisis (cf. *PIR.* III 397 n. 253).
144. L. Verginius Rufus (n. 22) natus est in municipio finitimo Comensi, ut ait Plinius *ep.* II 1, 8.
145. C. Vettulenus Civica Cerialis (n. 67) fortasse propter nomen gentile Italus putandus est. (cf. Schulze p. 257.)
146. Q. Vibius Crispus (n. 14) natus est Vercellis (Tac. *dialog. 8; PIR.* III 420 n. 379).
147. Vipstanus Messalla (n. 216) filius est L. Vipstani Publicolae (supra *ser. Ital.* n. 47).
148. L. Volusius Saturninus (n. 217) filius est Q. Volusii Saturnini (cf. supra *ser. Ital.* n. 49).

Aetate Domitiani:

149. M'. Acilius Glabrio (n. 459) filius est Acilii Glabrionis (supra *ser. Ital.* n. 2).
150. Appius Annius Trebonius Gallus (n. 1002); eius familia ex Etruria videtur oriunda esse, cf. Bormann ad *CIL.* XI 1940.
151. C. Antistius Vetus (n. 797) qui ortus est a C. Antistio Vetere (supra *ser. Ital.* n. 6).
152. L. Arruntius Stella (n. 862) origine est Patavinus (Martial. I 61, 4).
153. Q. Articuleius Paetus (n. 863) fortasse est ortus ex Italia, ubi magnos fundos possidebat (cf. *CIL.* XV 842 – 844; IX 6078, 11).
154. Asinius Gallus (n. 1010) ex posteris fortasse C. Asinii Galli cos. 746/8 (*PIR.* I 161 n. 1017); sed nomen eius gentile male traditum est. (cf. supra n. 1010.)
155. M. Asinius Marcellus (n. 864) filius vel nepos est M. Asinii Marcelli (cf. *seriem Ital.* n. 7).
156. Q. Asinius Marcellus (n. 801) frater eius qui praecedit videtur fuisse.
157. C. Atilius Cn. f. . . . us Julianus Cl(audius) R[ufi]nus (n. 1011); fortasse ortus est Antio, ut ex *CIL.* X 8291 concludi potest.

158. C. Calpurnius Crassus Frugi Licinianus (n. 872) ortus a Liciniis Crassis (Dio 68, 3; cf. stemma *PIR.* II 277).
159. L. Catilius Severus (n. 302) proavus maternus imperatoris Marci. Auctor *vitae Marci* 1 loquitur de Marci maiorum origine; verisimile est si Catilius Severus homo provincialis fuisset, illum id memoraturum fuisse.
160. (L.) Ceionius Commodus (n. 877) ortus est a L. Ceionio Commodo (cf. supra *ser. Ital.* n. 106).
161. Ser. Cornelius Dolabella Metilianus (n. 880) e vetere patriciorum gente Cornelia (cf. part. II cap. 1).
162. Cornelius Priscus (n. 882) fortasse ortus est Sutrio, ubi in albo sacerdotum (*CIL.* XI 3254) Cornelius Priscus nescio quis memoratur.
163. M. Eppuleius Proculus L. f. Claud. Ti. Caepio Hispo (n. 884) fortasse oriundus est ex Transpadana, ubi eius tituli reperti sunt et fundi eius erant (*CIL.* XI 14. 5065; V 5813 cf. VI 9357).
164. Flavius Clemens (n. 796) ortus est a Flavio Sabino (cf. supra *ser. Ital.* n. 17).
165. Q. Fulvius Gillo Bittius Proculus (n. 833) videtur filius esse M. Fulvii M. f. Gillonis (supra *ser. Ital.* n. 67).
166. Instantius Rufus (n. 1044); nomen gentilicium hominem Italicum indicare videtur (cf. Schulze p. 358. 396. 401).
167. L. Iulius L. f. Fab. Marinus Caecilius Simplex (n. 841). Curibus natum eum esse statuam (cf. titulum Curensem *CIL.* IX 4965 = Dessau *insr. Lat. sel.* n. 1026), quamquam oppidum erat non tribu Fabia sed Sergia (cf. *Ku.* II 55). Sed id facile potest enodari: nam et ex nomine Iulio et ex tribu Fabia apparet favore nescio cuius imperatorum Iuliorum civitate donatum esse unum ex Simplicis maioribus (cf. Kubitschek *de Roman. trib. orig. ac propag.* 117 n. 10), a quibus ille tribum accepit (simile exemplum *Ku.* II p. 160 s. v. *Vaga*).
168. M'. Laberius Maximus (n. 896); veri est simillimum filium eum fuisse L. Laberii Maximi procuratoris, aedilis Lanuvini a. 42 vel 43 (*CIL.* XIV 2097; cf. *PIR.* II 257 n. 3).
169. (Licinius?) Libo Frugi (n. 897) natus sine dubio a M. Licinio Crasso Frugi cos. a. 27 (*PIR.* II 276 n. 130) et Scribonia eius uxore (cf. stemma ibid. p. 277), ut ait Dessau ibid. p. 270 n. 110.
170. P. Licinius Crassus (n. 1054) certe ortus e vetere gente Licinia.
171. Minicius Acilianus (n. 835) origine est Brixianus (Plin. *ep.* 1, 14, 4).
172. M. Minicius M. f. Pup. Annianus (n. 667) Laude Pompeia ortus (*CIL.* V 6360).

173. C. Plinius L. f. Ouf. Caecilius Secundus (n. 830) origine Comensis est (cf. *PIR.* III 48 n. 370; Mommsen *G. S.* 394 seqq.).
174. T. Sextius Magius Lateranus (n. 795) oriundus videtur a T. Sextio Africano (supra *ser. Ital.* n. 36) vel certe ex eadem domo, ut ait Dessau *PIR.* II 238 n. 472.
175. (Catius?) Silius Italicus (n. 1083) natus a Ti. Catio Silio Italico (supra *ser. Ital.* n. 59).
176. L. Terentius L. f. Homullus Junior (n. 1086) filius est Terentii Strabonis Erucii Homulli (supra *ser. Ital.* n. 136).
177. Tuccius Cerialis (n. 1088 a.) oriundus fortasse ex Etruria, ut ex nomine colligi potest (cf. Schulze p. 375); alius Tuccius (*PIR.* III 338 n. 267) tribu Pomptina est, quae in Etruria quoque invenitur.
178. P. Tullius Varronis f. Stel. Varro (n. 1090) Italus habendus est propter tribum Stellatinam. Tarquiniis certe est oriundus, ut apparet ex eius titulis (*CIL.* XI 3364 = Dessau 1047. 3366; cf. supra *ser. Ital.* n. 138).
179. Varenus Rufus (n. 1094) propter nomen gentile Italus haberi potest (cf. Schulze p. 248).
180. A. Vicirius Martialis (n. 926) eadem de causa (cf. Schulze p. 102).
181. Vitorius Marcellus (n. 831) oriundus Teate Marrucinorum (Stat. *silv.* IV 4, 85).
182. Q. Volusius Saturninus (n. 701) natus Q. Volusio Saturnino (supra *ser. Ital.* n. 49).

Aetate Nervae:

183. P. Calvisius Tullus (n. 1325) ortus a L. Catilio Severo (supra *ser. Ital.* n. 159).
184. C. Clodius C. f. Maec. Nummus (n. 1308) fortasse est origine Neapolitanus sicut eius filius (infra *ser. Ital.* n. 209).
185. Ser. (Cornelius) Scipio Salvidienus Orfitus (n. 1335) ortus e vetere patriciorum gente Cornelia (cf. part. II cap. 1).
186. T. Mustius C. f. Fab. Hostilius Fabricius Medulla Augurinus (n. 1170) origine est Patavinus, ut et ex eius tituli *CIL.* V 2822 loco et ex tribu elucet (cf. *Ku.* II 114).
187. C. Vettenius Severus (n. 1096); nomen gentile Italum indicare verisimile est (cf. Schulze p. 101).

Aetate Traiani:

188. Q. Aburnius Caedicianus (n. 1732) fortasse Italus habendus est, quod prope Romam fundos habebat (cf. *CIL.* XV 227—234. 603—608. 614).

189. Accius Sura (n. 1587) origine Saepinas videtur esse cf. Mommsen *CIL.* IX p. 230.
190. M'. Acilius Aviola (n. 1600) videtur nepos esse M'. Acilii Aviolae (supra *ser. Ital.* n. 1).
191. M'. Acilius Glabrio (n. 1601) nepos videtur esse Acilii (Glabrionis) (supra *ser. Ital.* n. 2).
192. L. (Aelius Plautius) Lamia Aelianus (n. 1509) natus a L. Aelio Plautio Lamia Aeliano; cf. Dessau *PIR.* II 262 n. 43.
193. L. Antonius Albus (n. 1740) fortasse origine Tusculanus est; nam in agro Tusculano fundos possidebat (cf. *Bull. com.* 1902 p. 320).
194. T. Atilius Rufus Titianus (n. 1745) propter fundos in Italia sitos (*CIL.* XV 1430/2; X 6688) Italus haberi potest.
195. C. Bruttius Praesens (n. 1749) fortasse ortus est ex Italia: nam fundos possidebat in agris et Sabino et Antiatino; cf. Groag *RE.* Suppl. I 259 n. 5.
196. C. Calpurnius Piso (n. 1491) ortus videtur a L. Calpurnio L. f. Cn. n. Pisone (cf. supra *ser. Ital.* n. 8).
197. . . . fili]us Cam. Celsus (n. 1612) oriundus fortasse e municipio Alba Pompeia (*CIL.* V 7153, cf. *Ku.* II 100).
198. Ser. Cornelius Ser. f. P. n. P. pron. P. abnep. Dolabella Metilianus Pompeius Marcellus (n. 1619) ortus e vetere patriciorum gente Cornelia (cf. part. II cap. 1).
199. C. Eggius . . . f. Cor. Ambibulus Pom[ponius Lon]ginus Cassianus L. Maecius Pos[tumus] (n. 1621) natus est Aeclani in oppido Hirpinorum, ut ex eius titulis ibi repertis (*CIL.* IX 1123 = Dessau 1054. 1124) apparet (cf. *Ku.* II 36).
200. . . . nius L. f. Stel. Gallus Vecilius Crispinus Mansuanius Marcellinus Numisius [S]abinus (n. 1625) ortus est ex Italia, ut docet tribus.
201. M. Gavius Squilla Gallicanus (n. 1764) coniunctus est necessitudine cum M. Gavio M. f. Pobl. Squilliano qui Verona ortus est (cf. *Ku.* II 116. Heberdey *Festschrift für Hirschfeld* p. 444 seqq.).
202. A. Larcius A. f. Quir. Priscus (n. 1779) ortus ab A. Larcio A. f. (Quir.) Lepido (supra *ser. Ital.* n. 73).
203. Lustricius Bruttianus (n. 1636) fortasse propter nomen gentile in Italis numerandus est.
204. L. Neratius L. f. Vol. Pr[iscus] (potius quam Pr[oculus]) (n. 1640) natus a L. Neratio L. f. Volt. Prisco (supra *ser. Ital.* n. 124).
205. . . . n]ep. L. pron. . . . [Fab.] . . . Octavius Priscus (n. 1599) origine est Lucensis; cf. *CIL.* XI 1525.

206. Cn. Pedanius Fuscus Salinator (n. 1572) filius est Pedanii Fusci Salinatoris (supra *ser. Ital.* n. 127).

207. Cn. Pinarius Cn. f. . . . Severus (n. 1536) ortus videtur esse e vetere patriciorum gente Pinaria (cf. part. II cap. 1; Dessau ad *CIL.* XIV 3604).

208. T. Sextius Africanus (n. 1494) nepos est T. Sextii Africani (supra *ser. Ital.* n. 36; cf. Dessau *PIR.* III 236 n. 465).

209. L. Stertinius C. f. Maec. Quintilianus Acilius Strabo C. Curiatius Maternus Clodius Nummus (n. 1571) origine Neapolitanus est, ut ex eius tituli *CIL.* X 1486 loco et ex tribu apparet (cf. *Ku.* II 25); praeterea L. Acilius Strabo, unus ex eius maioribus ut videtur, origine Campanus est (n. 53; cf. *seriem Italorum* n. 3).

210. L. Venuleius Apronianus (n. 1660) fortasse oriundus est Pisis, ubi L. Venuleius Apronianus Octavius filius eius natus est (cf. *PIR.* III 397 n. 253).

211. M. Vettius Bolanus (n. 1492) natus a M. Vettio Bolano (supra *ser. Ital.* n. 91).

212. (Vettius) Crispinus (n. 1378) eadem de causa.

213. L. Vipstanus (vel Vipstanius) Messalla (n. 1505) filius est Vipstani Messallae (supra *ser. Ital.* n. 147); oriundus videtur Gabiis, ubi L. Vipstanus Publicola Messalla illius filius (cos. a. 140 cf. *PIR.* III 445 n. 472) quattuorvir quinquennalis fuit (cf. ibid.).

214. C. Vitorius Hosidius Geta (n. 1805) filius est Vitorii Marcelli (supra *ser. Ital.* n. 181).

215. L. Vitrasius L. f. Pos. (sic.) Flamininus (n. 1539) fortasse propter nomen gentile in Italis numerari potest.

216. C. Ummidius Quadratus (n. 1573); eius stirps iam ante Vespasiani aetatem patricia fuit (cf. supra *ser. Ital.* n. 95; part. II cap. 2).

217. (L.) Volusius L. f. Torquatus (n. 1540) filius est L. Volusii Saturnini (supra *ser. Ital.* n. 148).

217 senatores ex Italia orti indagati sunt, quorum 55 aetate Vespasiani in senatum pervenerunt; eorum qui antea in senatu obvii sunt, aetate Claudii 47, Neronis 46 in curia fuerunt. Domitiani vero temporibus accedunt senatores Italici 34, Nervae 5, Traiani 30.

Nunc consideremus quot provinciales tum in senatu fuerint.

B. De senatoribus ex provinciis ortis.

Cum luculenter ac saepe exquisitum sit, qui factum esset, ut homines provinciales ad militiam adhiberentur[1]), ad hoc tempus nemo collegit nisi summatim Friedlaender[2]) atque Dessau[3]), quot tota aetate imperatoria in senatum adlecti essent. Accedit quod Groag Vindobonensis nonnullis annis ante spem nobis iniecit hac de re acturum se esse[4]). Atque hac demum aetate fieri potest, ut titulis, qui in *Corpore Inscriptionum Latinarum* collecti exstant fere omnes, adhibitis examinemus, quot provinciales ex eo tempore quo Vespasianus imperium iniit usque ad Traiani exitum in ordinem amplissimum adlecti sint et qua quisque ex provincia oriundus fuerit. Hac in re exquirenda imprimis *Prosopographia Imperii Romani* usos nos esse consentaneum est. Jam si quaeremus, quibus ex rebus appareat quis provincialis fuerit, varia id cognoscendi argumenta inveniemus: nam nisi quod aut origo huius illius traditur aut eius maiores in provincia quadam natos esse saepe constat, id testimonio est, quod semel atque iterum homini provinciali muneribus urbanis functo statuae vel tituli, ubi saepe tribus patriae memoratur, a civibus in patria positi sunt. Sed cavendum est, ne magistratus Romanos eodem modo a provincialibus honoratos homines provinciales putemus. Accedit quod nonnumquam ex nominibus colligi licet aliquem senatorem ex provincia ortum esse.

Quibus rebus expositis provincias servato ordine, quo quaeque imperio Romano subiecta sit, lustrabimus.

Exordium igitur capiamus ab Sicilia, unde unus tantum senator prodiit, L. Acilius L. f. Quir. Rufus, qui sub finem Domitiani quaestor pro pr. prov. Siciliae (cf. supra n. 855) fuit.

Sed multo plures senatores in curiam contulit Hispania Baetica, quae prima omnium provinciarum[5]) consulem tulit, L. Cornelium Balbum origine Gaditanum, quem a 714/40 fasces gessisse constat[6]).

1) Mommsen, *Die Conscriptionsordnung der römischen Kaiserzeit. Hermes* 19. 1884 p. 1—79. 210—234 = *GS.* VI 20—117. O. Seeck, *Die Zusammensetzung der Kaiserlegionen Rh. M.* N. F. vol. 48. 1893 p. 602—621. cf. eiusdem *Untergang der antiken Welt* I 3 250 seqq. v. Domaszewski, *Die Rangordnung des römischen Heeres* in *Bonner Jahrb.* 117. 1908 (p. 83 seqq. et p. 122 seqq.); liber etiam seorsum prodiit.

2) *SG.* I 8 p. 227—237.

3) *Die Heimat der Offiziere und Beamten des römischen Kaiserreichs* in *Hermes* 45. 1910 p. 1—26; 615—617.

4) *Bormannheft der Wiener Studien* (vol. 24) 1902 p. 30 n. 4.

5) Plin. *n. h.* VII 42, 136: fuit et Balbus Cornelius maior consul ... primus externorum atque etiam in oceano genitorum usus illo honore quem maiores Latio quoque negaverint.

6) cf. Münzer *RE.* IV 1660 n. 62. Drumann-Groebe II 1902 p. 512 seqq. — Quod aegre cives tum tulerunt; cf. Friedlaender *SG.* I 8 p. 229. De eius tribu Clust. (Cic. *pro Balbo* 25, 57) cf. *Ku.* II 174.

Jam vero videamus, qui aetate, de qua agere nobis propositum est, Baetici in senatu fuerint. Ante Vespasiani tempora latum clavum accepit M. Ulpius Traianus (cos. c. a. 70), pater eius qui postea imperavit. Quem esse oriundum Italica Baeticae innotuit ex eo quod de imperatore Traiano rettulit Eutropius VIII 2: '. . . Traianus natus Italicae in Hispania, familia antiqua magis quam clara. Nam pater eius primum consul fuit'. (cf. supra n. 34). Atque commemorandus est Annius Verus, proavus imperatoris Marci, quem esse ortum ex Succubitano (an Uccubitano?) municipio Baeticae legimus *vit. Marc.* 1, 4. Ille fortasse a Nerone in ordinem senatorium adlectus est. (cf. supra n. 132). Eiusdem provinciae in oppido Gadibus L. Cornelium L. f. Gal. Pusionem natum esse coniecit Dessau (*rev. des étud. anc.* 1902 p. 145; *Hermes* 45. 1910 p. 9; *Eph. epigr.* IX p. 214), quae sententia eo confirmatur, quod Gaditani censebantur in tribu Galeria (cf. supra n. 80; *Ku.* II 173 seq. I 140). Deinde M. Annius Verus, qui ut in eodem municipio atque Annius Verus eius pater fortasse natus est. (cf. supra n. 284). Eadem natione fuerunt et L. Helvius Agrippa, cuius stirps oriunda ex Baetica videtur (cf. Willems *sénat* p. 65, p. 47 n. 83; cf. supra n. 93), et Marius Priscus ille, qui ut a. 99/100 repetundarum damnaretur Taciti et Plinii opera factum est. (cf. supra n. 190). Italicensem vero P. Aelium Hadrianum Afrum, cuius filius a. 117 imperium iniit, fuisse refert *vita Hadr.* 1; (cf. Kornemann *Kaiser Hadrian* p. 7 seqq. *Ku.* II 177; supra n. 154). Idem oppidum[1]) protulit M. Ulpium Traianum, qui postea imperavit. Cuius ut pater ante Vespasiani aetatem latum clavum acceperat, ita ipse Vespasiani beneficio dignitatem senatoriam videtur adeptus esse. (supra n. 381). Domitiano vero imperante nonnulli Baetici in senatu Romano obvii sunt. Praeter Herennium Senecionem (supra n. 849) causarum actorem, cuius de patria nihil constat nisi quod Plinius (*ep.* 7, 33, 5) illum dicentem facit in Baetica natum se esse atque quaestorem fuisse, nobis occurrit Q. Valerius Vegetus. Hunc Hispanum fuisse eumque Iliberritanum inde collegerim, quod Iliberris et Corneliae matris et Etriliae Afrae uxoris eius tituli sepulcrales detecti sunt (*CIL.* II 2074. 2077). Accedit quod patrem eius, cum matrem flaminicam Aug(ustae) fuisse constet ex titulo *CIL.* II 2074, flaminem Augusti fuisse necesse est, qui flamen eadem ex provincia, ubi munere fungebatur, eligi solebat[2]). Fieri potest, ut Vegetus Titi iam aetate honores primos capessiverit (cf. supra n. 692). Atque Corduba ortus est L. Dasumius (Tuscus?), ut probabiliter coniecit Groag (*RE.* IV 2223 n. 3; cf. supra n. 883). Restat, ut pauca dicam de iis, quos

---

1) a nonnullis alia oppida referuntur; ea de re egit Dessau *PIR.* III 464 n. 575.

2) cf. Hirschfeld, *Zur Gesch. d. röm. Kaisercultus* in *Berl. S.-Ber.* 1888 p. 847; cf. not. 66; Marquardt *St. V. VI*² 474 seq.; IV ² 259.).

Traianus amplissimo ordini inseruit. Hoc in numero sunt P. Aelius P. f. Serg. Hadrianus, qui Traiano successit, sicut pater, quem proxime citavi, ortus Italica (cf. Klebs *PIR.* I 16 n. 140; Kornemann *Hadrian* p. 1 seqq.[1]); supra n. 1483), et M. Cutius M. f. Gal. Priscus .... Proculus Julius Celsus, cuius de patria nihil constat. Eius autem gentem Salpensa oriundam fuisse statuit Mommsen ad *CIL.* II 1282/3[2]) (cf. supra n. 1756). His sunt adiungendi (M.) Annius Verus (supra n. 1738) et M. Annius Libo frater (supra n. 1737), quorum avum Annium Verum origine Baeticum fuisse supra vidimus. Itaque consentaneum est Libonis filium tribu Galeria fuisse (cf. *PIR.* I 68 n. 509).

Ac nunc videamus qui lato clavo honorati sint Tarraconenses. Sunt Domitiani aetate L. Minicius L. f. Gal. Natalis, origine ut puto Barcinonensis[3]) et Q. Licinius Q. f. (Gal.) Silvanus Granianus Quadronius Proculus (n. 1057), cuius pater eques Romanus fuit (*PIR.* II 284 n. 169). Qui cum flamen Romae et Augusti in provincia Tarraconensi fuerit, ut apparet ex titulo Tarracone reperto (*CIL.* II 4266), et pater et filius origine Tarraconenses fuerunt[4]). Cui rei convenit id, quod Tarraconenses in tribu Galeria, quae in patris titulo memoratur, censebantur (cf. *Ku.* II 199). Atque eadem ex provincia oriundus est L. Licinius L. f. Serg. Sura[5]) ille, cuius opera factum est, ut Traianus a Nerva adoptaretur (cf. Victor *ep.* 13, 5). Neque vero constat, utri oppido attribuendus sit, Tarraconi an Barcinoni[6]) (cf. supra n. 811). Quibus accedit C. Licinius C. f. Gal. Marinus Voconius Romanus, quem, cum flaminem Hispaniae Citerioris fuisse apud Plinium (*ep.* 2, 13, 4) legamus ex provincia Tarraconensi oriundum fuisse necesse est[7]). Hunc, quem a Traiano latum clavum accepisse verisimile est, Saguntinum fuisse fortasse recte coniecit Dessau (*PIR.* II 280 n. 144; cf. supra n. 1634).

---

1) Non recte iudicat O. Th. Schulz, *Hadrian* p. 17, qui auctori *vitae Hadr.* (1, 3: 'Natus est Romae') fidem nimiam habuerit; cf. *Ku.* II 177.

2) Ea de re quae dixit Kubitschek I 149 (cf. II 147), mihi non probantur; sane monendum est Salpensam non in tribu Galeria, qua erat Celsus, fuisse, sed Quirina cf. *Ku.* II 180.

3) Nam Barcinone, ubi eius filius natus est (cf. *PIR.* II 379 n. 440), balineum exstruxit (*CIL.* II 4509 = Suppl. 6145 = Dessau 1029). Accedit, quod tribu Galeria est, qua Barcinonenses continebantur (cf. *Ku.* II 189; Dessau, *Hermes* 45. 1910 p. 10).

4) Marquardt, *St. V.* IV² 259; Hirschfeld, *Zur Gesch. d. röm. Kaisercultus* in *act. min. acad. Berol.* 1888 p. 851 seq.; *Ku.* II 199.

5) Martial. I 49, 40.

6) Licinium Suram tribu Serg. fuisse constat e titulo *CIL.* II 4282; quamquam neque Barcino neque Tarraco urbes in illa tribu censebantur (cf. *Ku.* II 189. 199), tamen alteri tribuendus est. cf. Huebner ad. *CIL.* II 4508; Dessau *Hermes* 45. 1910 p. 9 seq.

7) cf. quae de patre Q. Valerii Vegeti, quem modo citavi, dixi.

Denique iis adiciendus est P. Alfius P. f. Gal. Maximus Numer(ius) Licinianus (n. 1734), qui videtur Tarracone natus esse, ut ex tituli (*CIL*. II 4110) loco et ex tribu colligitur. (cf. *Ku*. II 199).

At cui provinciae Hispanicae P. Licinius Caecina (n. 139), quem Galbae benificio senatorem factum esse statuit Dessau (*PIR*. II 271 n. 120), tribuendus sit non liquet. Fabius vero Fabullus (supra n. 315) *leg. leg.* V a. 69 et M. Fabius Julianus Heracleo Optatianus (supra n. 1759), qui fortasse obvius est in senatu aetate Traiani, ex provincia Hispanica nescio qua orti sunt, ut probabiliter statuit Groag (*RE*. VI 1769 n. 75; 1772 n. 87; cf. p. 1743 praef.)[1]).

Dalmatia autem aetate Vespasiani unum senatorem tulit, C. Octavium Tidium Tossianum L. Javolenum Priscum (n. 193). Hic ut Nedini natus sit fieri posse conicit Hirschfeld (ad *CIL*. III S. 9960; cf. Dessau *Hermes* 45. 1910 p. 193). Eadem ex provincia oriundum esse Sex. Minicium Faustinum Julium . . . [f]il. Serg. Severum (cf. supra n. 1629) qui prima stipendia in Traiani conspectu tribuni militum loco meruit, statuit Dessau in *Hermes* 1910 p. 13 seq.

Atque Africa, quamvis sit in numero provinciarum earum, quae ex longo iam tempore Romanorum imperio subiectae fuerunt, tamen aetate imperatoria paucorum senatorum patria est. Fortasse Surdinius Gallus (n. 372), qui a. 47 senator fuit, origine est Afer[2]). Atque fieri potest, ut in Afris habendus sit C. Julius P. f. Hor. . . . Cornutus Tertullus (supra n. 108), qui Vespasiano imperante praetor fuit. Is Praeneste, cuius oppidi est patronus, ortus esse non videtur, quod Praenestini erant non tribu Horatia, sed Menenia (cf. *Ku*. II 27). Atqui tribus Horatia non invenitur nisi in Italiae oppidis Aricia, Venusia, Spoletio, Faleriis atque in Africa. Ibi erant in tribu Hor. col. Julia Assuras (cf. *Ku*. II 139; cf. p. 135) et Uthina (ibid. 161; cf. p. 135). Jam cum et Assuras a Caesare patre colonia facta sit (*Ku*. II 138) et ex Tertulli nomine appareat unum de eius maioribus ab illo civitate dona-

1) Willems, *sénat en l'an* 65 p. 81 n. 168 *P. Valerium Marinum* (supra n. 96) fortasse ortum esse Conimbriga Lusitaniae statuit propterea, quod ibi titulus Valerii cuiusdam Marini repertus est. Id mihi probari non potest; nam in Pannonia quoque Superiore titulus Valerii Marini cuiusdam in lucem prodiit (*CIL*. III 4298: . . . . M. V/al(erius) Marinus vet. leg. I Ad. / p. f. ex sign. / dec. Bri(getione) e. q. s.)

2) Natione Afrum eum fuisse statuam cum propterea quod Dio 60, 29 (cf. Zonar. 11, 9) illum cum Carthaginem domicilium transtulisset ordinis senatorii exuendi causa, a Claudio in urbem esse revocatum rettulit, tum quod in Africa tituli 'Surdiniae clarissimae feminae' (*CIL*. VIII 5860. 10523) reperti sunt. Accedit quod affert Schulze 239 titulum *CIL*. X 3634, ubi memoratur miles classiarius 'nat(ione) Afer Surdinius'. Neque vero id est neglegendum, quod in titulo quoque Mediolanensi Surdinia quaedam memoratur (*CIL*. V 6104).

tum esse, fieri potest, ut Tertullus Assuribus oriundus sit. Accedit quod Tertullus cognomen saepius apud Afros invenitur (cf. *CIL.* VIII ind. nom.). Eiusdem provinciae ex parte ea, quae postea provincia secernebatur Numidia, prodiit Q. Aur(elius) Pactum [eius . . . f.] Quir. Clem[ens] origine Cirtensis, quem a Vespasiano Titoque censoribus in curiam adlectum esse docet *CIL.* VIII 7058 = Dess. 1001. Eodem in titulo scriptum videmus 'cos. ex Afric[a p]rimus'. Hunc ad eam dignitatem Vespasiani beneficio esse provectum recte, puto, opinatur Dessau (*Hermes* 45. 1910 p. 23. cf. supra n. 78). Atque ei sunt adiciendi ex Afris Caecilius Classicus nescio ubi natus (supra n. 869. cf. Dessau *Hermes* 45. 1910 p. 21), qui Domitiano imperante primis honoribus functus est, et Q. Caecilius Q. f. Arn. Marcellus, quem Carthagini, quae colonia tribui adscripta fuit Arnensi (cf. *Ku.* II 147), attribuit Dessau (*Hermes* 45. 1910 p. 21; supra n. 1589). Et hic aetate demum Traiani ad dignitatem senatoriam processit et Q. Gargilius Q. f. Quir[ina] Antiquus (n. 1525), cuius familia nescio an ex Africa orta fuerit, ut opinatur Groag (*RE.* VII 763 n. 6),

Jam vero pauci provinciae Achaiae indigenae a Traiano digni putabantur, qui latum clavum acciperent, cum C. Julius Eurycles Herculanus (n. 1626), quem origine Lacedaemonium fuisse ex titulis eius elucet (Lebas-Foucart II 245b; *CIG.* 1306; cf. Dessau *Hermes* 45. 1910 p. 14 et *PIR.* II 189 n. 199), tum Ti. Claudius Atticus Herodes oriundus e demo Atheniensium Marathonio, cui filium eodem nomine temporibus Hadriani et Antonini Pii longe praestitisse nemo nescit (cf. supra n. 1329; de filio vide *PIR.* I 353 n. 655).

Quot senatores Asia protulerit, iam videamus. Acmonia quidem, quod oppidum est in Phrygia, oriundus est L. Servenius L. f. Aem. Cornutus, quem Dessau (*Hermes* 45. 1910 p. 16) Neronis temporibus adscripsit (cf. supra n. 370). Paullo post, a 69 tribunus militum commemoratur Ti. Julius Ti. f. Cor. Celsus Polemaeanus, quem Ephesi natum esse ex eius titulis ibi repertis elucet[1]); accedit quod eadem in urbe magnam bibliothecam exstruxit. Hic, quo nemo indigenarum prius fasces videtur gessisse, a. 92 consulatu functus est (cf. supra n. 138). Atque C. Antius A. Julius Auli f. Volt. Quadratus, quem in senatum adlectum esse a Vespasiano iudicamus, Pergamo fuit oriundus, id quod permultis titulis ibi repertis probatur (n. 110). Item Apellas filius eius Pergami natus aetate Domitiani ordine senatorio fuit (supra n. 1006) sicut Ti. Julius Ti. Cor. Aquila Polemaeanus, qui, utpote cuius pater[2]) civis Ephesius fuerit, Epheso est attribuendus (supra n. 1046). Ab im-

1) cf. Dessau, *Hermes* 45. 1910 p. 16 not. 6; contra Ritterling *oest. J.* 10. 1907 p. 304 Sardibus eum ortum esse statuit, vix recte.

2) Ti. Julius Celsus Polemaeanus quem modo citavi.

peratoribus vero Nerva Traianoque alii quoque honoribus senatoriis ornati sunt, quorum unus memoretur Sex. Quinctilius Sex. f. Ani. Valerius Maximus (n. 1562) 'lato clavo exornatus a divo Aug. Nerva', cuius patria est Alexandrea Troas[1]); alter quidam Fronto certe filius Apellae eius, cuius proxime mentionem feci (cf. supra n. 1763); denique num Barbarus, consularis fortasse Traiani vel Hadriani temporibus, origine Pergamenus fuerit, ut eius ex titulo colligi potest, plane incertum est (cf. supra n. 1748).

Proximum est, ut de provincia Gallia Narbonensi pauca dicam, quae secundum Hispanias plurimos senatores tulit[2]). Cuius rei quae fuerit causa, infra exponere conabimur. Atque cum permagi intersit percontari quando hac ex provincia primi senatores prodierint, Caesarem nonnullos in senatum adlegisse constat. Hac re quantopere cives Romani tum sint offensi, accuratius enarrat Friedlaender (*SG.* I[8] 229). Atque postea satis multi Galli inveniuntur, qui civitate donati sunt. Hoc in numero imprimis sunt ii, qui Vienna orti sunt. Quam coloniam quanti divus Claudius aestimaverit, in illius oratione scriptum exstat[3]). Sed hactenus quidem! Quaeramus quam multi in ordinem senatorium temporibus iis, de quibus nobis agendum est, adlecti sint. Aetate quidem Vespasiani multi in senatu fuerunt, qui iam, antequam ille imperare coepit, latum clavum acceperant; in quibus memoretur primus . . . Do]mitius T. f. Volt. Decidius (n. 314), quem origine Narbonensem fuisse coniecit Dessau (*PIR.* II 21 n. 124; cf. *Ku.* II 205 seqq.). Huic adde Pompeium Paulinum Arelatensem (n. 246) cuius patrem (*PIR.* III 69 n. 480) equitem Romanum fuisse refert Plinius (*n. h.* 33, 143; cf. *Ku.* 206. Dessau *Hermes* 45. 1910 p. 10). Ex Vasione Vocontiorum oriundus fuisse videtur L. Duvius Avitus, ut ait Hirschfeld (ad *CIL.* XII 1354; cf. *Ku.* II 213 seq.; supra n. 250). Jam vero occurrunt L. Pompeius Vopiscus, quem Viennensem fuisse ex iis, quae legimus apud Tacitum (*h.* I 77) colligi potest (cf. supra n. 272). Eodem ex oppido D. (?) Valerius Asiaticus ortus est (cf. supra n. 98). Accedit M. Antonius Primus origine Tolosanus (cf. *PIR.* I 103 n. 688). Deinde est monendum T. Aurelium Fulvum, imperatoris Antonini Pii avum paternum Nemausi esse natum (cf. *vit. Pii* 1, 2; supra n. 90). Atque Cn. Julius Agricola (supra n. 68) sicut Decidius socer,

1) *CIL.* III 384. Philostrat. *vit. soph.* 2, 1, 11; cf. Dessau *Hermes* 45. 1910 p. 16; Friedlaender *SG.* I[8] 234.

2) Haec provincia quot senatores in curiam urbanum contulerit, accuratius describit E. Herzog, *Galliae Narbenensis provinciae Romanae historia.* Lipsiae 1864. p. 152—174.

3) *CIL.* XIII 1668 col. II 9 seq. (= Dess. 212 = Nipperdey-Andresen in Taciti edit. VII vol. II. p. 317 seqq.): 'Ornatissima ecce colonia valentissimaque Viennensium quam / longo iam tempore senatores huic curiae confert!' cf. Tac. *a.* XI 24.

quem supra memoravi, Foroiulio provinciae Narbonensis oriundus fuit[1]). Eorum, quos Vespasianus ipse ordini senatorio inseruit, non plus duos invenimus, C. Fulvium C. f. Volt. Lupum Servilianum (n. 137), cuius patria Nemausus in tribu Voltinia fuisse memoratur (*CIL.* XII 3166; cf. *Ku.* II 214) et M. Aprum, qui ubi natus sit nos praeterit (supra n. 133). Atque [A. An]nium [. . . f. Te]r. Camartem Arelatensem fuisse cum ex tribu tum ex loco tituli *CIL.* XII 670 colligi licet (cf. *Ku.* II 206; supra n. 283). Domitianus vero ordinem senatorium concessit M. Mettio M. f. Ter. Rufo item origine Arelatensi, ut ait Hirschfeld (ad *CIL.* XII 671; cf. *Ku.* II 206; supra n. 1065) et Aurelio Fulvo, cuius patrem Nemausensem fuisse supra vidimus (cf. n. 803). Idem imperator adeo favit M. Lollio D. f. D. n. Vol. Paullino Valerio Asiatico Saturnino (supra n. 790), ut quaestorem eum commendaret. Is filius fuit D (?) Valerii Asiatici Viennensis, quem proxime citavi. Eadem origine fuit T. Julius Sex. f. Volt. Maximus . . . Servilius Vatia Cassius Cam . . ., ut recte coniecit Herzog *Gallia Narb.* p. 167 ob tribum et statuam Nemausi positam (cf. Hirschfeld ad *CIL.* XII 3167); is quoque Domitiano imperante ad honores senatorios accessit (cf. supra n. 894). Huic videtur adiciendus esse etiam C. Valerius Paullinus, si filius fuit Valerii Paulini Foroiuliensis (procuratoris; cf. *PIR.* III 373 n. 105), id quod confirmatur eo, quod illa in colonia praedia ei fuisse refert Plinius (*ep.* 5, 19); cf. supra n. 1093. Traiani vero beneficio nonnullis Narbonensibus contigit, ut ad urbanos magistratus senatoriamque dignitatem admoverentur. Ac primus quidem nominandus est L. Aemilius M. f. Volt. Honoratus, cui 'optimus princeps' (*CIL.* XII 3164), quem Traianum intellegi vult Hirschfeld (ad. tit.), latum clavum cum quaestura obtulit; quem Nemausensem fuisse ob tribum et statuam Nemausi positam recte iudicavit Herzog l. l. p. 167 (cf. *Ku.* II 215 n. 2; supra n. 1588). In senatoribus ex provincia Narbonensi ortis enumerandis non est neglegendus T. Aurelius Fulvus Boionius Arrius Antoninus, cui imperium postea contigit. Nam ut in villa Lanuvina natum eum esse constat, ita et avum et patrem eius Nemansenses fuisse supra diximus (cf. supra n. 1609). Postremo memorandus est Flavius Aper, qui facile fieri potest ut filius M. Apri, quem supra memoravi, fuerit (cf. n. 1624).

Iam vero quaeritur num senatores in curiam urbanam contulerit provincia Bithynia. Ea igitur aetate, de qua agimus, dignitatem senatoriam est adeptus unus ex Nicomedensibus: Flavius Arrianus ille, qui rerum scriptor praeter aequales florebat. Atque a Traiano lato clavo honoratum eum esse perspicuum videtur ex eo, quod intra a. 123—130 consulatu est functus. (supra n. 1761.)

1) Tac. *Agr.* 44; cf. Mommsen *St. R.* I³ 575 not. 1; *GS.* IV 414 not. 7; Dessau, *Hermes* 45. 1910 p. 11.

Atque ex provincia Syria nonnulli senatores prodierunt. Imperante enim Traiano adlectus est inter praetorios C. Julius C. f. Fab. Antiochus Epiphanes Philopappus, quem et Epiphane rege Commagenae ortum et vocabulo regis ipsum usum esse elucet ex titulis *IG.* III 552 et 55 (cf. supra n. 1528). Qui num consulatu functus sit dubium est: consul igitur, quem tulit provincia Syria primum, videtur intellegendus esse L. Aemilius Juncus, origine Tripolitanus Phoenicius, qui, cum fasces gesserit a. 127, in curiam videtur pervenisse gratia Traiani. (cf. Dessau, *Hermes* 45. 1910 p. 18; supra n. 1733.)

Etiam Judaea nonnullos senatores protulisse videtur eosque ex stirpe Judaeorum regia ortos[1]). Eo in numero est Alexander ille rex et consularis ex stirpe Judaeorum regia, ut ait Dessau, *Hermes* 45. 1910 p. 20. Sed hic utrum Tigranis regis Armeniae fuerit filius an idem sit qui C. Julius Alexander Berenicianus (cf. infra) origine Judaeus, relinquitur in ambiguo. Verisimile est aetati Vespasiani Alexandrum tribuendum esse (cf. supra n. 282) non minus quam C. Julium Agrippam eius filium, qui cum quaestura prov. Asiae latum clavum accepit (cf. supra n. 324). Quibus accedit C. Julius Alexander Berenicianus, qui Traiani beneficio ad honores senatorios accessit. Hic intellegendus est ex stirpe Judaeorum regia ortus, ut ait Dessau l. l. p. 20, isque affinis eorum, quorum supra mentio facta est. (supra n. 1527.)

Satis hoc loco dictum est de Syris Judaeisque; nunc exquiramus, num qui ad honores urbanos accesserit homo Aegyptius. Et profecto accepisse latum clavum videtur Ti. Julius Alexander Julianus. Eum ordine senatorio, non equestri fuisse perspicuum est ex eo, quod Dio 68, 30 refert, et illum et Erucium Clarum ut ὑποστρατήγους bello Traiani Parthico interfuisse. Atqui Sex. Erucium Clarum tum certe tribunicium vel potius praetorium fuisse apparet ex Clari cursu honorum (supra n. 1189); Alexandrum Iulianum ergo tum eodem honorum gradu fuisse verisimile est. (cf. supra n. 1569.) Alexandrea vero oriundum eum fuisse collegit Dessau l. l. inde quod Ti. Julium Alexandrum, praefectum Aegypti et Neronis et Galbae aetate, patrem vel avum Juliani fuisse veri est simillimum.

---

1) Quamquam Dessau *Hermes* 1910 p. 20 probabiliter coniecit nonnullos Judaeos in senatu fuisse, tamen fieri potest, ut id, quod Friedlaender *SG.* I [8] 235 statuerat, rectum sit: 'Daß jemals ein aus Palaestina stammender Jude (mindestens vor dem 4. Jahrhundert, wo Hieronymus (IV 823 seq. ed. Vallarsi) von jüdischen Senatoren spricht) senatorischen Rang erhalten hat, ist nicht bekannt.' Nam illi senatores a Dessavio indagati ex stirpe regia orti sunt. Verisimile igitur est dignitate senatoria nisi ea de causa Judaeos honoratos non esse, ut iis pretium quoddam solveretur pro eo, quod maiores regno privati essent. Simile accidit etiam C. Julio Antiocho Epiphanae Philopappo, quem supra citavi.

Id si recte se habet, sequitur, ut iam ante Caracallae aetatem ex hac provincia prodierit senator, id quod illo demum imperante factum esse statuit Cassius Dio[1]).

Atque ex Galatis unus a Traiano, ut videtur, ad honores senatorios admissus est, Anicius Maximus. Hunc oriundum fuisse Antiochia ad Pisidiam vel ex eo colligi existimo, quod eum Anicii P. f. Serg. Maximi origine Antiocheni filium fuisse veri est simillium. (cf. n. 1564.)

Jam vero cum exquaeremus, num quem senatorem tulerint Tres Galliae, inveniemus Ti. Claudium Ti. f. Pal. Quartinum, quem Luguduni natum esse ex eius titulo recte conclusit Dessau (*Hermes* 45. 1910. p. 11). Hunc a Traiano in ordinem splendidissimum adlectum esse edocet *CIL.* XIII 1802. (cf. *orat. Claudii* II 28 seq.; supra n. 1158.)

Unus porro senator prodiit ex provincia Mauretania, Lusius ille Quietus, qui Maurus passim memoratur. Is postquam iam Domitiano imperante praefectus alae fuit, beneficio Traiani adlectus inter praetorios ad consulatum processit. (cf. supra n. 1507.)

Restat, ut memoretur senator quidam peculiari Traiani beneficio exemptus ex reliquis provinciae Lyciae indigenis: . . . us Claudianus Xantho ortus, qui de se ipso loquitur in titulo *IGR.* III 615 = Dessau 8821: [. . . *τοῦ ἔθ|νους πρῶτος συγκλητικὸς* [*γενόμενος*]: (sic titulum supplevit Dessau, *Hermes* 1910 p. 18 not. 2; cf. supra n. 1614.) Num porro Ti. Claudius Sacerdos Julianus (supra n. 879) eadem ex provincia ortus sit, ut opinari videtur Groag (*RE.* III 2864 n. 324) propterea, quod in titulo Oenoandis reperto (*IGR.* III 500 col. III v. 36) Ti. Claudius Sacerdos, qui certe fuit homo Lycius, memoratur, dubium est; nam etiam Ancyrae titulus Ti. Claudii Sacerdotis nescio cuius repertus est (*IGR.* III 200). Sed fieri potest, ut oriundus fuerit ex provincia quadam in Asia sita.

Quoniam exquisivimus quot quaeque provincia contulerit in curiam senatores, denuo eos in tabula proponamus.

(Adnotatio ad tabulam: oppida enumerantur servato ordine, quo iure coloniae aut municipii ornata sunt: qua in re coloniae notantur signo†, municipia signo††; accedunt civitates liberae ¯ signo notatae.

Quod in nonnullis senatoribus invenitur signum*, eorum iam patres vel maiores civitate Romana honorati in senatu Romano fuerunt.

Numeris vero *obliquis* significantur senatores ii, qui ex provinciis orientalibus orti sunt).

---

1) 76, 5 = 77, 5 Boissevain: (*Κοίρανος*, i. e. Aelius Coeranus, cf. *PIR.* I 14 n. 121) . . . *ἐς τὴν γερουσίαν πρῶτος Αἰγυπτίων κατελέχθη καὶ ὑπάτευσε μηδεμίαν ἄλλην ἀρχὴν προάρξας, ὥσπερ ὁ Πομπήιος.* cf. 51, 17: (*οἱ Ἀλεξανδρεῖς*) . . . *βουλεύουσι δὲ δὴ καὶ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ, ἐπὶ Σεουήρου αὐτοκράτορος ἀρξάμενοι, καὶ ἐν τῇ Ῥώμῃ, ἐπ᾽ Ἀντωνίνου τοῦ υἱέος αὐτοῦ πρῶτον ἐς τὴν γερουσίαν ἐσγραφέντες.*

Provinciae senatoriae	Provinciae imperatoriae	earum coloniae vel municipia	Imperatores, qui ante Vespasiani aetatem fuerunt	Vespasianus	Domitianus	Traianus	Computatio prov. senat.	Computatio prov. imp.
Sicilia		Thermae † Himeraeae			n. 865		1	
Hispania Baetica		Ucubi †	n. 132	n. 284*		n. 1738* n. 1737*	4	
		Corduba †			n. 883		1	
		Italica † †	n. 34	n. 154 n. 381*		n. 1483*	4	
		Gades † †	n. 80				1	
		Salpensa (?) † †				n. 1756	1	
		Iliberri † †			n. 692		1	
		patria ignota	n. 93	n. 190	n. 849		3	
	Hispania Tarraconensis	Barcino †			n. 904			1
		Tarraco †			n. 1057	n. 1734		2
		Barcino aut Tarraco			n. 811			1
		Saguntum † †				n. 1634		1
Hispania			n. 139 n. 315			n. 1759	3	
	Dalmatia	Nedinum † †		n. 193				1
		patria ignota				n. 1629		1
Africa	(Numidia)	Carthago †				n. 1589	1	
		Cirta †		n. 78			1	
		patria ignota	n. 372	n. 108?	n. 869	n. 1525?	2 + 2?	
Achaia		Athenae —				*n. 1329*	*1*	
		Sparta —				*n. 1626*	*1*	
Asia		Alexandrea Troas †				*n. 1562*	*1*	
		Pergamum		*n. 110*	*n. 1006**	*n. 1763** *n. 1748?*	*3 + 1?*	
		Ephesus		*n. 138*	*n. 1046**		*2*	
		Acmonia	*n. 370*				*1*	
Gallia Narbonensis		Arelate †	n. 246	n. 283	n. 1065		3	
		Forum Julii †	n. 68		n. 1093*		2	
		Vienna †	n. 272 n. 98*		n. 790*		3	
		Vasio † †	n. 250				1	
		Nemansus † †	n. 90	n. 137	n. 803* n. 894	n. 1588 n. 1609*	6	
		Tolosa † †	n. 89				1	
		patria ignota	n. 314	n. 133		n. 1624*	3	
	Bithynia	Nicomedia				*n. 1761*		*1*
	Syria	ex Commag. stirpe regia ort.				*n. 1528*		*1*
		Tripolis Phoeniciae				*n. 1733*		*1*
	Judaea	ex Judaeorum stirpe regia orti		*n. 282* *n. 324**		*n. 1527*		*3*
	Aegytus	Alexandrea				*n. 1569?*		*1?*
	Galatia	Antiochia ad Pisidiam †				*n. 1564*		*1*
	Gallia Lugudun.	Lugudunum †				n. 1581		1
	Mauretania	—				n. 1507		1
	Lycia-Pamphyl.	Xanthus				(*n. 879?*) *n. 1614*		*1 + 1?*
			15 + *1* = 16	10 + *4* = 14	13 + *2* = 15	14 + 1? + *10* + *3?* = 24 + 4?	39 + 2? + *9* + *1?*	9 + *8* + *2?*
							+ 3 68 + 5?	

Ut igitur ex tabella perspici potest, inter eos, qui tum etiam, cum Flavii imperium obtinebant, honoribus sub Claudio vel Nerone functi in senatu erant, inveniuntur provinciales 16; a Vespasiano ad honores senatorios admissi sunt 14, a Domitiano 15, a Traiano dignitate senatoria honorati sunt provinciales 28. Ex provincia Sicilia prodiit senator 1, prodierunt ex Hisp. Baetica 15, ex Tarraconensi 5, ex provincia Hispanica nescio qua 3, ex Dalmatia 2, ex Africa 4 + 2?, ex Achaia 2, ex Gallia Narbonensi 19, ex Bithynia 1, ex Syria 2, ex Judaea 3, ex Aegypto fortasse 1, ex Galatia, Lugudunensi, Mauretania singuli, ex Lycia-Pamphylia 1 + 1?.

Ac ne illud quidem neglegendum est, qui factum sit, ut alia provincia multos, alia paucos contulerit in curiam urbanam senatores. Neque nos praeterit imprimis provincias Hispanienses et Narbonensem senatores imperio suppeditavisse. Itaque perspicuum est, quo quaeque provincia maiorem cultum Romanum accepisset, eo magis eius indigenas ad honores urbanos admissos esse. Atque in ipsis provinciis iis, quas memoravi, cultum Romanum politissimum fuisse fere consentaneum videtur; nam hae provinciae in iis sunt, quae primae imperio Romano subiectae et Italiae propiores erant, quam ut cultum Romanum repudiare possent[1]). Quod ut probetur, in memoriam revocemus quae dixit Mommsen (*RG.* V 62): „Vollbürgergemeinden zählte man in ganz Spanien unter Augustus fünfzig; gegen fünfzig andere hatten bis dahin latinisches Recht empfangen und standen hinsichtlich der inneren Ordnung den Bürgergemeinden gleich[2])." Atque vero Vespasianus Hispanis adeo favebat, ut toti provinciae ius Latii daret[3]). Tum omnes fere Hispanos lingua Latina usos esse constat; quid? quod Josephus vero (*contra Ap.* 2, 4), cum de Hispanis diceret, eos 'Romanos' nominavit! Qua ex re praecipue cognosci potest Hispaniam cultu Romano tantopere imbutam fuisse, ut Hispani fere homines Romani illi viderentur esse. Accedit, quod illa provincia multos viros tulit, qui in litteris praeter ceteros florebant, quos enumerare longum est[4]).

Atque similiter res se habebat de provincia Narbonensi[5]), quae iam a Caesare dictatore, postea ab Augusto ex reliquis provinciis favore

---

1) Mommsen *RG.* V 68: „Daß die römische Civilisation Spanien früher und stärker durchdrungen hat als irgend eine andere Provinz, bestätigt sich nach verschiedenen Seiten, insbesondere in dem Religionswesen und in der Literatur".

2) cf. Kubitschek I 131 seqq. 185 seq. II 167 seqq.

3) Hirschfeld, *Zur Gesch. d. latin. Rechts* (*Festschrift zur 50jährig. Jubelfeier des arch. Instituts in Rom.* Wien 1879) p. 10.

4) Mommsen l. l.; Seeck, *Untergang d. ant. Welt* I^3 300 seq.

5) cf. Herzog, *Gall. Narb.* 1864 p. 74 seqq. et 107 seqq.; Hirschfeld, *CIL.* XII p. XII seq.; Mommsen, *RG.* V 78 seq.; Friedlaender, *SG.* I^8 p. 229 seq.; Dessau, *Hermes* 45. 1910 p. 10.

exempta est. Quae quantopere cultum Romanum receperit, vel ex eo apparet, quod a Plinio (*n. h.* 3, 31) vocatur 'Italia verius quam provincia'. Praterea nonnullos homines litterarum studiosos tulit[1]). Hoc loco porro memoretur de Tribus Galliis Augustum longe aliter egisse, utpote qui earum indigenas Lugudunensibus exceptis ad honores senatorios admitti vetaret[2]); Claudius demum imperator[3]) et Vespasianus[4]) ampliora commoda viris ex illis provinciis ortis concesserunt.

Hic dixerit quispiam in provincia Africa, quippe quae ex longo iam tempore subacta fuisset, cultum Romanum adeo fuisse acceptum, ut Afris contingeret, ut in senatum pervenirent. Neque vero id accidisse accepimus, sive quod Romani illos non aptos putabant, qui cultui studerent, sive quod adversus eos odium gerebant[5]).

Jam perlustremus provincias eas, quae ad solem orientem vergunt. Mirum videtur, quod ex Graecia satis pauci senatores prodierunt. Qui factum sit probabiliter exposuit Mommsen[6]).

Neque minus animis aversis erant Romani ab indigenis Asiae[7]) et Syriae Judaeaeque[8]). Quin etiam de Aegypto constat Augustum vetuisse quemquam ex illa provincia ortum ad honores senatorios admitti[9]), atque etiam ad honores equestres paucissimi provecti esse videntur[10]). Ita se gerebant Romani propterea, quod cum Orientalium tum Aegyptiorum eos taedebat. Attamen verisimile est Traiano imperante Alexandrinum quen-

1) cf. Mommsen, *RG.* V 101 seq.

2) Mommsen l. l. p. 89; cf. 260 seq. (vide infra).

3) cf. *orat. Claudii CIL.* XIII 1668; Mommsen, *RG.* V p. 90; *GS.* V 414 (= *Hermes* 16 p. 471); contra Hirschfeld, *Gallische Studien* I (*Wiener Sitz.-Ber.* vol. 103. 1883) p. 327 not. 2; cf. Friedlaender *SG.* I^8 p. 230 seq.

4) Mommsen, *RG.* V 90. 92 seq.

5) cf. Hirschfeld, *Zur Gesch. des lat. Rechts* p. 15 not. 43.

6) *RG.* V 260 seq.: 'Aber obwohl diejenigen rechtlichen Schranken, welche den Gallier und den Alexandriner noch nach erlangtem Bürgerrecht vom Reichssenat ausschlossen, diesen vornehmen Griechen schwerlich entgegenstanden, vielmehr unter den Kaisern diejenige politische und militärische Laufbahn, welche dem Italiker sich darbot, von Rechts wegen dem Hellenen gleichfalls offen stand, so sind dieselben doch tatsächlich erst in später Zeit und in beschränktem Umfang in den Staatsdienst eingetreten, zum Teil wohl, weil die römische Regierung der früheren Kaiserzeit die Griechen als Ausländer ungern zuließ, zum Teil weil diese selbst die mit dem Eintritt in diese Laufbahn verknüpfte Übersiedelung nach Rom scheuten und es vorzogen, statt einer mehr unter den vielen Senatoren daheim die ersten zu sein'. cf. R. Schmidt, Allg. Staatslehre II 1 p. 294 not. 2.

7) Mommsen *RG.* V 333; Friedlaender *SG.* I^8 232 seq.

8) cf. quae de Iudaeis supra dictum est.

9) Dio 51, 17 Boissev.; cf. supra s. v. Aegypt.

10) cf. Friedlaender *SG.* I^8 236 et ibid. not. 1.

dam in senatum pervenisse, Ti. Julium Alexandrum Julianum, cuius supra mentionem fecimus[1]).

Quas rationes et quae quisque imperator consilia in provincialibus lato clavo honorandis secutus sit, iam exponere conabimur. Multis et nobilissimis gentibus Claudiorum iam aetate deletis permulti senatores mortem subierunt in bello civili a. 69. Itaque necesse erat Vespasianum homines novos in senatum adlegere[2]), quare nonnullis provincialibus latum clavum dedit. Quin etiam ille, qui primus homo plebeius imperium susceperat, nonnullas ex provinciis oriundas gentes patriciis adscivit. Atque praecipue qui ex provinicis occidentalibus erant orti, ad honores senatorios admisit, inter quos primum locum obtinebant Hispani et Galli Narbonenses[3]). Sed orientales provinciae illo imperante quattuor tantum senatores protulerunt; ei ut in senatum pervenirent nisi certis de causis factum non esse statuo. Veluti Ti. Julium Celsum Polemaeanum (n. 138) Vespasianus inter aedilicios adlegisse videtur idcirco, quod ille eo tempore, quo Vespasianus imperator appellatus est, stipendia faciebat in ea legione, quae prima Vespasiano sacramentum dixit[4]). Porro Alexandrum regem et consularem, quo familiariter utebatur, cum Judaeae praeesset, dignitate senatoria ornavit, fortasse ut iis honoribus compensaret, quod maiores eius regno privati erant. Eadem de causa C. Julium Agrippam (n. 324) eius filium ad quaesturam a Vespasiano admissum esse opinor. Atque similiter C. Antius A. Julius Quadratus, ut pro facto nescio quo gratia ei referretur, inter praetorios videtur adlectus esse; qui haud scio an secutus sit partes Vespasiani[5]) sine ulla dubitatione sicut Ti. Julius Celsus Polemaeanus.

Domitiano vero imperante tantum duo senatores orientales inveniuntur iique sunt filii eorum, quos Vespasianus ad senatum admisit: Apellas ab A. Julio Quadrato prognatus (n. 1006) et Ti. Julius Aquila Polemaeanus, illius Polemaeani quem supra citavi filius. Itaque Domitianus in animo habuisse non videtur senatores ex provinciis orientalibus ortos proinde atque eos, qui in occidentali imperii parte nati erant, ad ordinem senatorium admittere. Quae si probantur, non possum assentiri iis, quae dixit Friedländer (*SG.* I[8] 233): In den Senat wurden die Angesehensten aus diesen Ländern (i. e. ex Graecia et Asia), wenigstens in größerer

1) Quantopere Romanos pertaesum sit Aegyptiorum, testis est *CIL.* IV 1943: 'non est ex albo iudex patre Aegyptio'.

2) cf. huius capitis exordium.

3) sunt illi dimidia pars senatorum provincialium, qui illo imperante in curiam pervenerunt.

4) cf. Cumont, *Le gouvernement de Cappadoce sous les Flaviens* in *Bull. de l'Acad. roy. de Belgique. Classe des lettres.* 1905 p. 198 not. 1; Ritterling, *oest. J.* 10. 1907 p. 305 seq.

5) Ritterling l. l. p. 306.

Anzahl, vielleicht zuerst von Vespasian und Titus während ihrer Zensur (in den Jahren 73 und 74) aufgenommen.“ Immo vero equidem statuerim Flavios ex provinciis orientalibus paucos eosque privatis de causis in senatum adlegisse. Atque ut exemplum afferam, quantopere homines occidentales praelati sint orientalibus, hoc memorem: a. 93 primum uterque consul ortus fuit ex provinciis, M. Lollius Paullinus Valerius Asiaticus Saturninus (supra n. 790) et C. Antius A. Julius Quadratus (supra n. 110). Hic cum inde ab initio imperii Vespasiani[1]) multos per annos muneribus fungeretur, ad consulatum a. demum 93 ascendit, M. Lollius Paullinus quaestura sub Domitiano functus consul factus est, ut videtur, ‘suo anno’. Huc accedit, quod Lollius Paullinus, cum et eius et collegae mentio fiat, primo loco, ubi illustrioris collegae nomen exstare solet, ponitur.

Sed rerum commutatio facta est imperante Traiano, qui primus omnium imperatorum indigenas provinciarum et orientalium et occidentalium ad honores senatorios aequo modo admisit[2]). Cuius aetate totidem fere senatores prodierunt ex terris orientis, quot ex provinciis, quae ad occasum solis vergebant (senatores 13:15), ut ex tabula, quam supra composuimus perspicuum est. Ita rem se habere consentaneum videtur; nam illius, quippe qui primus homo provincialis imperium inisset, intererat omnibus imperii Romani provinciis aeque et consulere et favere. Qua in re ad tantam processit iustitiam, ut ne suis quidem popularibus magis favisse videretur quam ceteris provincialibus. Nam inter eius aetatis viginti quattuor senatores provinciales non inveniuntur nisi septem Hispani[3]).

Ita factum est, ut inde a primo post Chr. n. saeculo magis magisque senatores provinciales in curiam urbanam pervenirent, atque saeculo iam insequenti orientales senatores multo plures fuisse videntur quam reliqui[4]).

Sequitur, ut comparemus seriem senatorum Italicorum et provincialium.

Vespasiano igitur imperante inter 386 senatores indagati sunt homines Itali 148 ($38\,^3/_{10}\,^0/_0$), provinciales 16 + 14 ($7\,^8/_{10}\,^0/_0$).

---

1) Nam a. 72 cum frater Arvalis esset, certe in senatu fuit (cf. supra n. 110).

2) Eius rei testimonio est, quod ille permisit, ut senatores orientales etiam eas provincias administrarent, quae ad occasum solis spectarent, id quod ante eum factum nondum esse videtur. Huc accedit, quod ex imperio demum Traiani homines orientales non solum ad proconsulatum Asiae admittebantur, sed etiam sub eodem imperatore primum senator orientalis consul erat iterum, cf. infra.

3) Restat ut memoremus Vespasiani aetate in senatu obvios esse sedecim senatores provinciales, qui iam ante illius tempora in senatum pervenerant. Quorum unus invenitur senator ex terris orientis ortus (n. 370), reliqui nati sunt in provinciis, quae ad occasum solis spectant.

4) cf. Dessau *Hermes* 45. 1910 p. 24. Ritterling *oest. J.* 10. 1907 p. 307.

Domitiani aetate sunt inter 404 senatores homines Itali 34 + 91[1]) ($30\frac{9}{10}\,\%$); provinciales 15 + 23[2]) ($9\frac{4}{10}\,\%$).

Traiani vero temporibus inveniuntur inter 428 senatores homines Itali 30 + 70[3]) ($23\frac{4}{10}\,\%$), provinciales 28 + 25[4]) ($12\frac{4}{10}\,\%$).

---

1) nam iis 34 senatoribus, qui Domitiano imperante in senatum pervenerunt, accedunt 91, qui iam prioribus temporibus in senatu obvii sunt: (numerus prior indicat, ubi senator in Italorum laterculis inveniatur (cf. huius capitis partem priorem); numerus uncis inclusus indicat, ubi idem senator in serie senatorum aetatis Domitiani exstet): 1 (706) 2 (854) 3 (964) 5 (934) 26 (1063) 27 (936) 44 (734) 51 (937) 52 (713) 54 (944) 55 (960) 57 (1023) 59 (711) 60 (945) 61 (806) 62 (807) 63 (1036) 64 (1038) 67 (721) 68 (726) 70 (720) 72 (1050) 74 (1055) 75 (939) 76 (1062) 78 (1021) 79 (1070) 80 (959) 81 (957) 82 (714) 84 (916) 85 (971) 86 (737) 87 (922) 88 (718) 89 (1095) 90 (938) 91 (948) 92 (998) 93 (1098) 94 (976) 95 (1099) 96 (1100) 97 (740) 98 (774) 99 (860) 100 (991) 101 (724) 102 (1014) 103 (823) 104 (765) 106 (974) 108 (716) 109 (759) 110 (805) 111 (766) 113 (705) 114 (744) 115 (1042) 116 (834) 118 (809) 119 (892) 120 (840) 121 (1058) 122 (1060) 123 (908) 124 (909) 125 (761) 126 (753) 127 (813) 128 (732) 129 (741) 130 (914) 131 (818) 132 (750) 133 (1080) 134 (846) 135 (824) 136 (751) 137 (749) 138 (1089) 139 (923) 140 (924) 141 (848) 142 (819) 143 (782) 144 (709) 145 (722) 146 (707) 147 (1097) 148 (763).

2) senatoribus 15 provincialibus, quos sub Domitiano dignitatem senatoriam adeptos esse ex tabula, quam supra posuimus, apparet, adiciendi sunt 23, qui iam ante illius tempora senatui Romano interfuerunt: (numerus prior indicat, ubi senator in provincialium tabula, quam supra composuimus exstet; numerus posterior indicat, ubi idem senator in serie senatorum aetatis Domitiani inveniatur): 132 (1003) 284 (859) 34 (712) 154 (822) 381 (778) 80 (997) 93 (888) 190 (812) 139 (1053) 315 (1035) 193 (752) 78 (996) 110 (791) 138 (783) 370 (1081) 68 (723) 283 (858) 272 (949) 90 (736) 89 (735) 137 (1041) 133 (1007) 324 (1045).

3) senatoribus Italicis 30, qui sub Traiano ad ordinem amplissimum ascenderant, accedunt 70 in senatu iam ante eius tempora obvii: (sub numero priore senator in Italorum laterculis invenitur, sub posteriore idem in senatorum Traiani aetatis serie): 44 (1389) 52 (1385) 59 (1384) 62 (1407) 70 (1387) 86 (1667) 88 (1664) 94 (1670) 98 (1397) 99 (1604) 100 (1682) 103 (1747) 104 (1702) 106 (1668) 109 (1697) 111 (1703) 116 (1417) 119 (1466) 120 (1776) 123 (1424) 124 (1425) 125 (1699) 127 (1411) 129 (1687) 131 (1412) 132 (1693) 134 (1795) 135 (1796) 136 (1694) 137 (1390) 138 (1799) 141 (1801) 143 (1713) 148 (1700) 150 (1481) 151 (1720) 152 (1451) 153 (1445) 154 (1544) 155 (1462) 156 (1415) 157 (1516) 158 (1522) 159 (1420) 160 (1471) 161 (1524) 162 (1465) 163 (1432) 165 (1430) 166 (1556) 167 (1452) 168 (1429) 169 (1443) 170 (1470) 171 (1781) 173 (1438) 174 (1719) 175 (1444) 176 (1797) 177 (1432a) 178 (1538) 179 (1557) 180 (1450) 181 (1806) 182 (1712) 183 (1486) 184 (1597) 185 (1489) 186 (1784) 187 (1477).

4) senatoribus 28 provincialibus, qui a Traiano in curiam urbanam admissi sunt, adiungendi sunt 25, qui ante eius imperium senatores fuerunt: (sub numero priore senator invenitur in provincialium tabula, quam supra composuimus, posteriore in senatorum aetatis Traiani serie): 855 (1468) 284 (1418) 883 (1461) 381 (1383) 692 (1710) 190 (1410) 904 (1473) 1057 (1474) 811 (1409) 193 (1391) 869 (1547) 110 (1403) 1006 (1741) 138 (1400) 1046 (1529) 283 (1736) 1065 (1638) 1093 (1479) 790 (1402) 90 (1666) 803 (1721) 894 (1590) 89 (1665) 324 (1771) 879 (1441).

Restat, ut pauca adiciam, quomodo quisque imperator senatoribus provincialibus in muneribus gerendis usus sit. Atque id confirmatur, quod de Ti. Julio Celso Polemaeano et de C. Antio A. Julio Quadrato observavit Ritterling[1]), et quod omnino statuit Dessau[2]): senatores ex proviniciis orientalibus orti in iisdem terris muneribus functi sunt, sive quod stipendia merebant, sive quod provincias regebant. Ex viginti senatoribus, qui in orientis terris nati sunt, cursus honorum octo senatorum[3]) noti sunt: omnes fere aut provincias administraverunt, quae ad orientem spectant, aut muneribus functi sunt, ad quae gerenda in illis regionibus eos versari opus erat[4]). Eorum duo tantum senatores in provinciis quoque ad solis occasum spectantibus munera gesserunt iique Traiano demum imperante: C. Julius Eurycles Herculanus, origine Lacedaemonius, rexit Baeticam (cf. n. 1626) et Flavius Arrianus ex Bithynia ortus in Norico et in Pannonia fuit; hic leg. leg. vel potius leg. Aug. pr. pr. vir consularis tum videtur fuisse (cf. n. 1761). Sed ii senatores, qui ex provinciis occidentalibus orti sunt, et in his et in terris orientis magistratus gesserunt.

Neque id est neglegendum quod quaeramus, quot hominum provincialium, de quibus egimus, ad summos honores sint provecti. Constat Cassium Dionem fecisse Maecenatem Augusto suadentem, ne hominibus provincialibus liceret muneribus curulibus aut consulatu fungi. Quod effici non potuisse perspicuum est atque confirmatur eo, quod de consulatibus a provincialibus gestis dicturus sum. Ex septuaginta tribus enim senatoribus, quos provinciales invenimus, consules fuerunt quadraginta duo[5]) atque unus designatus[6]), quorum duodecim oriundi sunt ex orientis terris[7]).

---

1) *Über zwei griech. Inschriften römischer Verwaltungsbeamten* in *oest. J.* 10. 1907 p. 306/7.

2) *Hermes* 45. 1910 p. 24.

3) Supra n. 1527. 1562. 1564. 1569. 1614. 1626. 1733. 1761.

4) Quin etiam Ti. Julius Celsus Polemaeanus praeter honores urbanos muneribus in orientis terris functus est sex, C. vero Antius A. Julius Quadratus septem; cf. Ritterling l. l.

5) hoc loco enumerentur eo ordine, quo supra in provincialium tabula provinciae positae sunt. Ante Vespasianum imperatorem: n. 246. 250. 272. Sub Vespasiano: n. 34. 80. — 38. — 68. — 282. Sub Domitiano: n. 284. 190. 381. 692. 811. — 193. — 138. 110. — 90. (bis). 803. 790. Sub Traiano: n. 883. 1583. — 811 (cos. II et III) 904. 1057 — 1329 — 1748. 110 (cos. II). 1006. 1046 — 108. 1525 — 1093 — 1527. — 1528. — 1507 — 879. Sub Hadriano: n. 284 (cos. II et III). 1756. 1737. — 1629. 1329 (cos. II) — 1609. 1624. 790 (cos II) — 1761 — 1733 — 1581.

6) D. (?) Valerius Asiaticus origine Viennensis (n. 98), qui consul designatus anno 69 exeunte mortuus videtur esse.

7) Sub Vespasiano: n. 282. Sub Domitiano: n. 138. 110. Sub Traiano: 1329. — 1748. (n. 110 cos. II) n. 1006. 1046 — n. 1527 — n. 1528 — 879. Sub Hadriano: (n. 1329 cos. II). — 1761. — 1733. — Monendum est Traiano

Quin etiam factum est, ut aetate Traiani et Hadriani singuli senatores ex Hispania orti consulatu ter fungerentur[1]), sed, id quod monendum est, eadem ex provincia oriundi erant, qua illi imperatores. Atque bis consulatu functi sunt ex senatoribus occidentalibus duo[2]), totidem ex orientalibus[3]), unde intellegitur a Traiano et postea ab Hadriano hominibus orientalibus fautum esse eodem modo quo occidentalibus. Id magni momenti est, quod primus ex Africa consul exstitit imperante Vespasiano[4]), ex Asia sub Domitiano[5]), ex Syria vero aetate Hadriani[6]); atque imperante Domitiano primum factum est, ut uterque consul prodiret ex provinciis, alter ex Gallia Narbonensi, alter ex Asia[7]).

His adiciendi sunt ii provinciales, qui consulatu functi ad legationem provinciae imperatoriae ascenderunt: hoc in numero sunt ex senatoribus occidentalibus tredecim[8]), ex orientalibns tantum duo iique Traiano imperante[9]).

Quid? quod proconsulatum Asiae vel Africae permulti senatores ex provinciis et occidentalibus et orientalibus orti adepti sunt! Sed quamquam Tito iam imperante unus proconsul Asiae fuit[10]), tamen inde demum ex Traiani temporibus ad hoc amplissimum munus pervenerunt; nam ex iis hominibus provincialibus, quos indagavimus, iisque occidentalibus Asiam rexerunt sub Traiano duo, sub Hadriano tres; ex orientalibus imperante Traiano duo, Hadriano unus, Antonino Pio unus[11]). Contra Africam et Traiano et Hadriano imperantibus ab hominibus occidentalibus administratam esse constat (duo aetate Traiani sunt, Hadriani unus[12]). Accedit

---

ipso imperante 15 consules provinciales fuisse, quibus accedunt unus qui fasces iterum et unus qui tertium gessit cf. huius paginae notam 5.

1) L. Licinius Sura (n. 811) cos. I. a. inc. Domitiani, II a. 102, III. a. 107. et M. Annius Verus (n. 284) cos. I a. inc. Domitiani, II 121, III 126.

2) T. Aurelius Fulvus (n. 90), cos. I a. 85, II a. inc. Domit. et M. Lollius D. f. D. n. Paullinus Valerius Asiaticus Saturninus (n. 790) cos. I a. 93, II a. 125.

3) C. Antius A. Julius Auli f. Volt. Quadratus (n. 110) cos. I a. 93, II a. 105, et Ti. Claudius Atticus Herodes pater (n. 1329) cos. I a. inc. Traiani, II. a. inc. Hadriani.

4) Q. Aur(elius) Pactum[eius . . . f.] Quir. Clem[ens] (n. 78).

5) Ti. Julius Celsus Polemaeanus (n. 138).

6) L. Aemilius Juncus (n. 1733); cf. Dessau *Hermes* 45. 1910 p. 24.

7) a. 93: M. Lollius Paullinus Valerius Asiaticus Saturninus (n. 790) et C. Antius A. Julius Quadratus (n. 110).

8) Sub Vespasiano: n. 34. 18. Sub Domitiano: n. 193. Sub Nerva: n. 381. 246. 250. Sub Traiano: n. 108. 1583. 811. 1507. Sub Hadriano: n. 904. 1629. 1581.

9) n. 110. 1006.

10) M. Ulpius Traianus (n. 34) pater eius qui postea imperavit.

11) n. 883. 790; n. 1057. 1525. 1609. — n. 138. 100; n. 1527; n. 1733.

12) n. 190. 193; n. 904.

sub Hadriano unus homo fortasse ex Africa ortus qui utrum Asiam an Africam rexerit parum constat[1]).

Paulatim igitur orientales magis magisque ad amplissimos honores admissos esse apparet, ut supra diximus.

Atque nonnulli senatores provinciales muneribus urbanis functi sunt, sed inter eos duodecim magistratus non invenitur nisi unus ex Asia ortus[2]); reliqui oriundi sunt ex provinciis ad solis occasum spectantibus. Inveniuntur igitur praefecti urbi (n. 90, 284, 790); curator Tiberis (n. 904), curat. oper. publ. (n. 138, 1756), cur. viae Aureliae (n. 1065, 1756), praef. frum. dandi (n. 855), praef. aer. Sat. (n. 108, 1756), praef. aer. milit. (n. 78), ab actis senatus (n. 1483).

Denique enumerentur ii provinciales, qui patriciatu ornati sunt; in his homo orientalis fuisse non videtur.

Aetate Vespasiani inter patricios adlecti sunt M. Annius Verus (n. 284), Cn. Julius Agricola (n. 68), M. Ulpius Traianus (n. 34) eiusque filius, qui postea imperavit (n. 381). Fortasse his accedit C. Octavius Tidius Tossianus L. Javolenus Priscus (n. 193; cf. supra partis II cap. 2 s. v. *Inc. aet.*). Sub Domitiano patricius fuit M. Lollius Paullinus Valerius Asiaticus Saturninus (n. 790). Imperante Traiano filii M. Anni Veri quem modo citavi, inveniuntur: (M.) Annius Verus (n. 1738), pater imperatoris Marci, et M. Annius Libo (n. 1737).

Vespasianum vero senatores provinciales primum inter patricios adscivisse constat[3]).

1) n. 108.

2) Ti. Julius Celsus Polemaeanus (n. 138) curator oper. publ.

3) Heiter p. 59. seq.

Licet mihi de parte priore atque de partis alterius capitibus reliquis pauca addere.

In huius dissertationis parte priore senatores imperantibus Vespasiano, Tito, Domitiano, Nerva, Traiano ita enumerabuntur, ut ii, quos in senatu fuisse certum sit, excipiantur ab incertis. Atque non solum certi, verum etiam incerti dispositi sunt secundum locum, quem quisque in senatu obtinuit. Praecedunt igitur consulares, quos excipiunt praetorii, aedilicii, tribunicii, quaestorii, senatores incerti gradus, quibus adieci eos, qui uno ex illis imperante compluribus muneribus functi sunt, sed qui quando ad honores provecti sint, non constat. Atque id est memorandum aetate Vespasiani indagatos esse senatores 386, Titi senatores 319, Domitiani senatores 404, Nervae senatores 280, Traiani vero senatores 428.

Altera parte continebuntur capita quinque, quorum hoc loco typis expressum exstat quartum.

Primo capite de veteribus gentibus patriciis agitur. Et inventi sunt viri patricii a. p. Chr. n. 69 : 9, a. 96 : 4, a. 117 : 3. Horum annorum laterculos, ut cognoscamus, quot gentes patriciae inde a libera re publica exeunte exstinctae sint, comparavimus cum iis, qui compositi sunt

ad a. u. c. 699 a Willimsio (*Le sénat de la République romaine* ed. II Paris. 1885 vol. II p. 427—543),

ad a. u. c. 710 a Ribbeckio (*Senatores Romani qui fuerint idibus Martiis anni a. u. c. 710.* Diss. Berol. 1899 p. 81),

ad a. u. c. 723 a Fischero (*Senatus Romanus qui fuerit Augusti temporibus.* Diss. Berol. 1908 p. 101),

ad a. p. Chr. n. 65 a Willemsio (*Le sénat romain en l'an 65 après Jésus Christ.* Louvain 1902 p. 123 seqq.)

Altero capite recentiores patriciorum gentes enumerabuntur, quae in senatum adlecti sunt inde a Caesaris aetate usque ad Traiani exitum. Hanc ad rem observandam adhibuimus patriciorum laterculos, quos confecit Heiter (*De patriciis gentibus quae imperii Romani saeculis I II III fuerint.* Diss. Berol. 1909).

Tertio capite continebuntur gentes plebeiae, quae inde a Vespasiano usque ad Traiani mortem senatoriae fuerunt.

Quinto vero capite pauca adiciemus de iis senatoribus, qui in senatum adlecti sunt.

Vita.

Natus sum Bruno Martinus Ernestus Stech non. Nov. a. MDCCCLXXXV Berolini patre Christiano, quem praematura morte a. MDCCCXCV mihi ereptum valde lugeo, matre Albina e gente Becker. Fidem profiteor evangelicam. Postquam usque ad a. MCMIV gymnasium Fridericianum Berolinense frequentavi, vere h. a. maturitatis testimonio instructus civibus academicis universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis adscriptus sum et studiis historicis, philologicis, philosophicis me dedi. Docuerunt me viri illustrissimi H. Delbrueck, Dessau, Diels, Harnack, Helm, Hintze, Hirschfeld, Klebs, Lenz, Ed. Meyer, P. M. Meyer, R. M. Meyer, Ed. Norden, Paulsen†, Regling, de Richthofen†, Riehl, Roediger, Roethe, Roloff, D. Schaefer, E. Schmidt, de Schmoller, Stumpf, Tangl, Vahlen†, de Wilamowitz-Moellendorff.

Ad exercitationes me admiserunt epigraphicas Hirschfeld et Ed. Meyer; historicas Hintze, Hirschfeld, Ed. Meyer, Oncken, Roloff; historico-geographicas Sieglin; numismaticas Regling; papyrologicas P. M. Meyer; philosophicas Paulsen†. Proseminarii philologici sodalis fui per bis sex menses.

Examen rigorosum sustinui pr. kal. Aug. a. MCMXI.

Omnibus, qui me docuerunt, gratias ago quam maximas, Hirschfeldio autem, qui auctor mihi fuit huius commentationis scribendae neque unquam desiit consilio suo studia mea adiuvare, semper gratum habebo animum.

Denique me cum amicissimis Berolinensibus tum Carolo Behm medicinae et chirurgiae doctori multum debere libenter praedico.